ALBERTI HALLER.
M. & Ph. D.
ARCHIATRI REG. ET ELECTOR.
MED. ANAT. BOTAN. ET CHIR.
IN ACAD. GEORG AUG.
P. P. O.
SOC. REG. ANGL. ET SUEC. SOD.

ITER HELVETICVM

ANNI MDCCXXXVIIII.

ET

ITER HERCYNICVM

ANNI MDCCXXXVIII.



GOTTINGÆ
SVMTV REG. VNIVERS, OFFIC. LIBERARIÆ.
1740.

VIRO

GRAVISSIMO SAPIENTISSIMO

AVGVSTO JOHANNI

de HVGO.

ARCHIATRO REGIO ET ELECTORALI

SOC. REG. LOND. SOCIO

S. P. D.

ALBERTVS HALLER.

Quantis me beneficiis adfeceris VIR ILLVSTRIS, neque modeſtia Tua permittit ut enumerem, neque deſtinata hujus adloquii brevitas. Id unum excito, quod cum hac mea opera propius conjungitur, Te nempe theſauros Tuos Botanicos uberrimos omnes mecum communicaſſe, rariſſimas demum & deſideratas ſtirpes quam plurimas donaſſe, & cum ſtirpibus pulcherrimorum librorum feciſſe participem, quibus inſtructior & hanc diſſertationem, & majores meos labo-

 res

res felicius perficere potui. Quem ergo multis adjuvisti modis, eum libellum comis accipe, & homini fave, qui Tuas virtutes gnarus veneratur. Ex Georgia Augusta die 31. Octobris 1739.

LECTV-

LECTVRIS S.

Tota æſtate anni 1739. abfui, neque ullo munerum meorum defunctus, non mediocriter adfectus ſum, quod Academiæ, cui totum me debeo, nihil omnino præſtitiſſem officii.

Supererat, ut aliquam temporis, quod perierat, rationem redderem. Id hoc libello feci, quo ea continentur, quæ in itinere meo præcipua obſervavi, plantæ nempe in Alpibus, in Jura monte, & in Emmia valle collectæ, quarum aliquæ novæ ſunt, aliæ neque novæ neque obſcuræ, ſed pulchræ tamen & rariores inventu.

Libelli exiguitas minus decora viſa eſt Bibliopolæ. Ergo addidit alterius itineris deſcriptio-

ptionem, quod anno 1738. in Bructerum M. ſuſceperam, ſimilis argumenti, etiam ideo idoneum nupero itineri ſocium, quod ex utriusque collatione floram Helveticam cum Hercynica utcunque comparare liceat.

Superſunt multa hujus generis itinera, ſed ea maturiores curas exſpectabunt. Dabam in Georgia Auguſta die 31. Octobr. 1739.

§. I.



§. I.



Quando eo vere, quod proximé elapſum eſt, ad patriam urbem iter feci, nondum adultum ver erat, & nimboſa hyems plantas, etiamſi floruiſſent, legi vetabat. *Bernae* me alia, & quæ mihi quidem majori momenti eſſent, detinuerunt. Non potui, tamen ferre aſpectum eorum montium, qui patriam urbem coronant, absque dulci deſiderio ſtirpium, quas in iis toties, innocentiſſima voluptate perfuſus, junior legeram. Eripui me quantum licuit, urbanioribus negotiis, & quam primum humiliores montes nix deſeruit, ad eos raptim iter feci. Ergó colles illos, ſi cum alpibus conferas, ipſis *Jurae* culminibus humiliores, qui ultimam *Emmiam* vallem a *Lucernenſium* ditione ſeparant, nondum viſos, & ipſa novitate gratioſos, adii die IX. Junij: comite amico optimo, & amantiſſimo bonarum litterarum Nicolao Emanuele Gatschet, ad cujus avita & laxiſſima paſcua, praecipuum iter noſtrum fuit.

§. II.

Circá Bernam paſſim ſylvas abiegnas praeterivimus, muſcolasque atque cavas ſemitas, amatas muſcorum ſedes,

hybernos olim labores, nunc ſteriles, & aeſtivo ſole exuſtas. Neque montoſa illa regio, quam communi nomine *Wislen* vocant, plantarum quidem feracitate ſe commendavit, animum vero mirifice recreavit dulci imagine felicitatis, quae a libertate naſcitur. Latifundia cultiſſima omnes eos colles occupant, quos ruſtici homines, omni ſtipendio, omni imperio (niſi legum) liberi, laeti, divites, &, ſi hominibus ea ſors poteſt contingere, felices habitant. Solitudines avias, & anfractus reductarum vallium, perſtrepunt puriſſimi rivi, frequentant armentorum opimi greges, exhilarant ſparsa tuguria, omni commeatu, & ruſticae vitae commodis ditisſima.

§ III.

Poeticum plane iter hoc fuit, herbae enim vulgares omnino erant, & ubique obviae. Trans eos colles *Emmam*, auriferum fluvium ſuperavimus. In ejus arenoſis ſyrtibus, ad ipſum inſulae caput, quod adfluentes aquas primum excipit, ſolent accolae aurum arenis permiſtum legere. Neque prius cum quaeſtu lavantur *Arolae* arenae, licet ubique aureis micis avariciam hominum invitent, quam postquam *Emma* aquas ſuas immiſit *Arolae*. Sed & ipſa *Emma*, non ab ultimis fontibus aurifera eſt, debetque praecipuas divitias torrenti cui *Goldbach* nomen eſt, de cujus uberrimo metallo fabulae potius quam hiſtoriae paſſim narrantur. Id mirum videri poterit, pleroſque Helvetiae flurios aureas arenas miculasque vehere, aurea metalla tamen nullibi certa fide reperiri. Certe *Rhenus* ad ipſos Batavos, (a) ad Gallos *Rhodanus*,

a) Novam aurifodinam in arenoſis montibus Bataviae oſtentabat olim Ordinibus Foederatis Joachimus Becher. Et ex-

danus b), glebulas aureas de fert, quas Helvetiae debent. In *Arola* ad *Aarwangen*, & in commitatu *Badensi*, ubi vadosae arenosaeque insulae frequentiore sunt (*bey der Stille*,) non absque quaestu lavantur arenae; & conflatas ex iis massas purissimi auri, percussos nummos videre, id apud nos non rarum est.

§. IV.

Parum laetus his divitiis, qui omne desiderium posueram in thesauris valde minus invidiosis, suavissimis nempe plantulis, per vallem *Emmiam*, ad ductum illabentis fluvioli *die grune*, inter laetissima praedia, beataque mapalia hominum ultra sortem suam divitium, perveni ad sedem Praefecti *Sumiswald* ubi majores paulatim montes vallem constringere, & altius herbosa culmina erigere incipiunt. Omnes enim hujus tractus montes, absque rupium tristi horrore, absque praecipitium scopulorum metu, ex sola laetissima gleba, & confusis collium vertilium acervis congeruntur. Inter eos montes, est M. ARNI, satis apud vicinos celebris uberrimo lactis proventu & caseorum immensa mole, antiquissima familiae GATCHETIAE possessio. Is itineris nostri

experimentum, si non sufficiebat sumtibus, nobis tamen sufficit.

b) Vide de ejus arenis crystallinis, gemmeisque, quales omnino sunt arenae *Arolae*, cultissimum virum REAUMUR *Comment. Acad. Paris.* 1718. Crystalli moles inmensae ad fontes *Arolae* nuper repertae sunt, & glebam 695. librarum ipse vidi omnium, quas vel voto mortales adtigerunt, maximam. An similes ibi gemmarum, aurique venae, quarum minuta ramenta flumen avehit? de Rubineis certe verum est, & smaragdinis aliisque fluoribus SCHEUCHZER It. IV. p. 241. 242. Sed nihil in hisce spei est avaritiae nostrae, molles enim sunt & plebejae, neque supra crystallorum classem.

ſtri prima die terminus fuit, poſt quam per collis ſatis arduos, deinde per montoſam planiciem, ſilentesque ſylvas, jam ſolis abietibus umbroſas, per ſeſquihoram adſcenderamus.

§. V.

Stitpium Alpinarum prima nos ſalutavit *Bellis media*, frequens in Helvetia c), etiam planiori, locis umbroſis, & in ſylvarum uvidis receſſibus. Ejus figuram adeo exquiſitam dederat GESNERUS d), adeo conſpicuam charactere ſuo, ut fere adcuſare liceat TOURNEFORTIUM e), & multo quidem ſeverius VAILLANTIUM f), quod contra ſuas leges, pappiferam plantam immiſcuerint ſtirpibus, quibus ſolida ſunt, nudaque ſemina. Sed ingrati fuerit viros, qui tanta praeſtiterint, ideo culpare, quod non praeſtiterint omnia. Et ea quidem mente volo ut ſciant lectores me ſcripſiſſe perpetuo, quoties ab his & ab aliis doctis viris diſſenſero, ut ignorationem aliquam, imo evrorem, aut plusculos lapſus, nolim vel minimam partem demere earum laudum, quas grati ipſis decernimus, ſive eos mors extra invidiæ metum poſuerit, ſive nunc quoque laboribus ſuis de nobis bene mereantur. Nemo me certe, ſi recte me novi, melius cupit iis, per quos profecerit. Verum ad *Bellidem* noſtram redeo. Non pe-

c) Bernae in *Eymatten* ſupra ſtagnum. Circa *Auguſtam Rauracorum* &c.

d) In *compendio Matthioli* CAMERARIANO p. 654.

e) *Bellis ſylveſtris media caule carens* I. R. H. p. 494.

f) Cui eſt *Bellis media nudicaulis non ramoſa. Comment. Acad. Reg. ſe. Pariſ.* 1720. p. 358. Nam is quidem cenſor perpetuus TOURNEFORTI, nullam errorum ſuorum impunitatem ſperare poterat, in claſſe, quam ſibi ſelegerat ſubmovendam penitus ex imis ſedibus, novasque ad leges ordinandam.

penitus certum eſt, num VAILLANTIUS noſtram viderit, quando *Bellidem monanthon autumnalem* g) RAII addidit *Tuſſilaginibus*, quod & papposa eſſet, & ſcapo unifloro. Nam in eo ipſo opere, in quo ſedulo elaboravit PONTEDERA h), *Bellidem* eamdem RAII, nudo ſemine deſcribit, ut omittam quod noſtra verna ſit omnino. Ut verum fatear tamen videtur, & RAIUS i) & VAILLANTIUS k), de noſtra dixiſſe. MICHELIUS l) denique, vero charactere *Bellidis mediae* cognito, novum genus ipſi creavit *Bellidaſtri* m), felici connubio certe nominis ex *Aſtere*, cujus characterem habet, & *Bellide* cujus faciem refert, cujusque nomen geſſerat antiquitus. Mihi enim nihil videtur intercedere, quin *Aſter* dicatur, isque *caule nudo uniflorus*. Namque flos, qui amiciſſimo LINNAEO n) calyce viſus eſt differre ab Aſtere, is equidem, & ſquamis & pappo ſeminum rufo, proxime accedit ad *Aſteres* illos Alpinos, quibus ipſis *Bellidis* folia ſunt, licet caulem non gerant aphyllon, & per hos intermedios Aſteres, cum *coeruleo acri*, multisque omni-

g) *Caule nudo tenui praelongo flore albo rubente Hiſtor. III.* p. 221.

h) In plantis flore compoſito. vid. *Diſſert.* p. 277.

i) Ob ſummam ſimilitudinem deſcriptionis, & quod vix fieri poſſit, ut, plantam adeo vulgarem, ignoraverit perpetuo, noſtra enim & altior eſt, & folia quam vulgaris majora habet, & pappum in ſemine.

k) Cui eſt, *Tuſſilago Bellidis folio* l. c. 375.

l) *Nov. plant. gen.* p. 32. Tom. 29.

m) *Bellidaſtrum alpinum foliis brevioribus hirſutis caule palmari flore albo.*

n) Nempe eam praecipue ob notam, quod calyx eſſet ſquamis nonniſi duplici ordine ad baſin usque ſciſſis, videtur eam addidiſſe *Doronicis*, nomenque feciſſe *Doronicum caule nudo ſimplici unifloro Hort. Cliffort.* p. 500. REYEN *Flor. Bat.* p. 160.

no speciebus conjungitur, quibus omnibus non plurimorum ordinum squamae sunt. Caeterum, ut nondum dimittam stirpem nostram, facit synonymorum obscuritas. Nempé & MENZELIUS o) nostram videtur non uno p) novo nomine proposuisse; & dubium esse potest, num ea *Bellis media*, quam pictam a MATTHIOLO q) pene omnes Botanici receperunt, omnino sit a vulgari minore diversa. Certe MATTHIOLUS r) *mediam* suam non alpibus, aut editis umbrosisque locis, sed pratis tribuit indigenam, & *hortensi* opponit *spontaneam*. Nihilque a MATTHIOLO discrepant LOBELIUS s) DODONAEUS t), LUGDUNENSIS HISTORIA u) TABERNAEMONTANUS v) alique veterum. BAUHINI x) certo nostram plantam descri-

o) *Bellis caule bipedali nuda, foliis magnis latis, floribus rubris & albis* (uti & nostra solet *Alpina*) *Pugill.* Tab. 8. Quam VAILLANTIUS habet l. c. p. 358. & MORISON III. p. 30. & RAIUS *in hist. plant.* p. 349. & TOURNEFORTIUS in I. R. H. & TILLIUS, *hort. pisan.* p. 22. de quo dudum miror, qua felicitate in horto suo pene omnes ex ordine TOURNEFORTII plantas alere potuerit, & eas saepé, quas ego satis certe novi, nunquam distinctas exstitisse.

p) *Bellis foliis parvis floribus albis alpina* MENZEL. *Pug. Plant. rar.* T. 8. vix videtur differre.

q) *In Dioscorid.* cum magn. fig. p. 911.

r) In iconibus nempé p. 478. quae ad DODONAEANAM facta est. In *adversariis* vero videtur nostram indicare, siquidem eam PENNIO tribuit in sylvosis Germaniae lectam p. 199.

s) Icon enim *Bellidis sylvestris* ex MATTHIOLO exscripta est.

t) p. 264. *Pemptadum.*

u) p. 854. ex MATTHIOLO, eodem etiam nomine.

v) eodem nomine 329.

x) IOHANNES quidem icone usus est GESNERIANA III. p. I. p. 114. CASPARUS veró & locum natalem indicavit, & in herbario vivo veram stirpem habuit.

ſcripſerunt, de recentioribus, & ipſo TOURNEFORTIO y), dubitari poteſt. Unicum addo, ex argumento calycis villoſi omnino videri ad noſtram pertinere *Bellidem*, quam novo nomine dicit SCHEUCHZERUS z), *alpinam minorem ſylveſtri minori ſimilem*. Eſt autem hoc genus *Bellidis*, *Aſterisve*, foliis *Bellidis* vulgatiſſimae majoribus, ſcapo altiori dodrantali & pedali, flore majore, & calyce aperto magis hirſutulo ex bina ſerie ſquamarum ad baſin ſectarum virentium factus, ſemine, uti dictum eſt, pappigero, tum in ſemifloſculis, tum in diſco.

§. VI.

Altera die, operibus primum lactariis adfuimus, atque ex menſuris lactis opimi quadringentis, quae paulo plus quam duodecies centena pondo efficiunt, unum caſeum conpingere vidimus librarum fere octoginta. Solent etiam majores fingere, quando gramen adultius eſt. Atque eam lactis copiam fere ſeptuaginta vaccae ſuppeditant quotidie. Opima veró ejus lactis pinguedo his in montibus debetur fere unice *Alchimillae vulgari*, in editioribus paſcuis *Plantagini anguſtifoliae*, & in editiſſimis *Mutellinae*, ſtirpibus adeo, quae blando cum morſu adſtringunt.

§. VII.

Inde per anfractus montium in altiora cacumina divagatus, ſtirpes quaeſivi, ſed eas paucas certe inveni, cum anni praecox tempus eſſet, & hi montes in univerſum alpinum ingenium non ſatis exprimant, qui hortorum etiam frugumque non omnino expertes ſunt. *Gentiana* qui-

y) vide notam c.

z) *It.* VI. p. 453. neque alia eſt *Bellis ſylveſtris minor*. It. V. p. 424.

quidem *Asilepiadis folio* uberrima ubique adfuit, sed flores nondum ostentavit, quos Augusto mense demum expandit. Ea planta, si quidem Gesnerus a) noster civis mei Aretii nomini eam consecrasset, uti constituerat animo, fuisset ex antiquissimis, quae Botanicorum nomen gerunt. Sed & ubique obvium *Geum rotundifolium majus*, per sylvas humentesque scrobes, cornubus ovarii modo ad se mutuo conversis, modo per aetatem divaricatis, punctis rubris per petala in tres lineas dispositis, *calyce* ex ambitu imi ovarii exeunte Deinde *Valeriana* copiose apparuit in editioribus, cujus historiam extricare, atque optimorum scriptorum sententias faciliores reddere explicando, id quidem & necessarium visum est, & difficile.

§. VII.

Duas nempé *Valerianas* communius alunt Alpes nostrae, licet neque *Celtica Spica* b) careant: sed has quidem frequentius. Et altera quidem in Alpibus ubique frequens, in *Jura* Monte mihi nondum visa est, eaque quam

a) *Epistolar.* p. 120. b. Admodum placebat optimo viro id institutum, quo stirpes, grato quasi animo motae, certam immortalitatem reddunt iis, per quos innotuerunt, conf. *epist.* p. 73. & p. 42. ubi *Adolphiam*, aut *Occoniam*, & *Achilleam* (pro Gassero suo) serio offert amicis. Vaillantius idem secutus consilium, mutavit in posterioribus operibus, quod nihil veri nexus esset inter stirpes & nomina clarorum virorum. Neque tamen placet, quod ejecto verissimi amici nomine, Boerhaaviam voce sesquipedali dixerit *Antanisophyllon*. Nam & nomina ficta ad similitudines raro effugiunt ambiguitatem, & malé poenitentis videtur, auferre quod dederat.

b) Quam nomine *Waldtschiben* enumerat inter plantas *Nessi*, civis noster Aretius, p. 235.

quam nunc in M. *Hengst* decerpſimus, perenni, odorata, lignoſa *radice* repit, alba quidem, ſed fuſco cortice. *Folia* ex radice profert ex longis pediculis, tenera, glabra, virentia, acuto mucrone, acute ſerratis oris, non diſſecta tamen. Verum ad caulem, quales plures ex una radice pedales, & cubitales fiſtuloſi eriguntur, perpetuo una conjugatio media eſt foliorum duorum, ſed ternatorum, quorum medium latius eſt, bina acuminata ſubjacent, ſimilia medio ſed minora. In *Umbella* nihil novum invenio, nam & tripartita procedit diviſio, & floſculi odorati, infundibuli forma, in umbellam congregantur, & terna *ſtamina* alba ex tubo floris proveniunt. *Tuba* bicornis in *ſemine*, cujus contorta corona per aetatem plumoſos radios explicat. Praecipuam notam dant folia ad caulem perpetuo terna, nunquam aut pinnata ut in vulgari, aut integra, ut in ea de qua proxime dicemus, §. VIII. Haec *Valerianae* ſpecies variis nominibus innotuit variis Botanicis, neque ſemper eadem cum ubertate notarum. Et *Phu* quidem *ſaxatile* Gesneri c) huc refero, quod in Alpibus legerit, ubi aliqua quidem eſt *ſcrophulariae folio Valeriana*, ſed rarior d). Deinde Clusii *Valeriana ſylveſtris alpina I. latifolia* e) cum noſtra eadem videtur, cum folia ad caulem in duas tresve crenas diſſecta deſcribat. A Clvsio ad Casparvm Bavhinvm neminem invenio, qui ejus mentionem fecerit. Is autem ſtirpem noſtram egregie cogni-

c) *Hort. Germ.* p. 272, *tab. collect.* p. 96. *Petraeum* vero dicit in *append.* ad *Hort. German.* p. 295.

d) In Rhaetia legit D. Huber, ego vero in M. *Obergurnigel.* ſed in *Jura M.* frequentiſſima eſt (xxviii)

e) *Hiſtor ſtirp. rarior.* LV. cum icone, quæ diviſionem foliorum ad caulem non ſatis exprimit. In *Pannonicis* vocat *Alpinam I.* p. 512. figuram vero non addit.

cognitam habuit, foliorum ad caulem binas alas esse sollicite monuit, iconem etiam dedit, quo id exprimeretur f). In eo, ut saepe solet, non prospexit nobis, quod CLVSIANAM plantam g), proprio nomine a sua sejunxerit, quae adeo certo erat eadem. Ab eo tempore nihil novae lucis accessit. CLVSIANAM plantam repetierunt JOHANNES BAVHINVS, h) sibi etiam visam, PARKINSONVS i), RAIVS k). Nomen aut CLVSII aut CASPARI dederunt AMBROSINVS l), MORISONUS m), TOVRNEFORTIVS n), MAGNOLIVS o), PLVKNETIVS p), TITA q), SCHEVCHZERVS r), VAILLANTIVS, s) ita

f) *Valerianam montanam primam dixit* in *Phytopinace* p. 292. *alpinam primam* in *Prodromo* p. 86. & *Pinace.* Synonymum nullum addidit. Legerat autem in m. *Wasserfall. Cat. plant Bas.* p. 50.

g) Eam enim dixit *Valerianam alpinam alteram* in *Pinace*, nam in *Phytopinace* idem nomen dat illi *folio scrophulariae.*

h) Dixit *Valerianam alpinam*, III. p. 208. neque *Fratris* novam cognitam habuit, descriptam pridem in *Phytopinace.* Ex eo CHABRAEVS p. 411. Icon autem melior est CLUSIANA.

i) In descriptione *major sive latifolia* est p. 120. in icone *minor* id p. 121. Icones enim mutatae sunt.

k) Descriptio cum nomine *Alpinae* Hist. p. 390. bona est, neque tamen potuit homonymiam extricare, cum ad CLUSIANAM etiam eam voluerit referre, quae est *scrophulariae folio.* Solennis asteriscus indicat, quod *hanc* quidem, non viderit. Nostram in M. *saléve* legerat. vid. *Syll. plant. extra Brit. nasc.* p. 258.

l) Merus, ut solet, nomenclator. *Phytograph.* p. 554. Usus vero est nomine CLVSII.

m) *Hort. Bles.* p. 214. & *Hist. Oxon.* III. p. 112. eodem nomine: in *Umbelliferis* vero p. 51. solam habet CLUSIANAM, quam vocat *Nardum montanam alteram* & XI. loco ponit. *Primam* CASPARI utrobique omittit.

n) *Valeriana alpina prima*, ex CASPARO *Schol. Bot.* p. 153. & I. R. H. Solam excitavit BAVHINI stirpem.

o) Eodem nomine H. R. M. 201. & in *Char. plant.* p. 149.

p) *Almagest.* p. 380. eodem nomine.

q) *Hort. Mauroccn.* p. 178. & in *Itinere*, ubi *alpestrem primam* dicit.

s); ita ut eorum nemo moneat nihil a CLVSIANA ſtirpe differre BAVHINIANAM, utramque etiam diſtinctis nominibus & TOVRNEFORTIVS t), & TITA u) expreſſerint. Neque tamen fieri poterat, ut lateret penitus Botanicos ſtirps adeo non rara. Ergo pro nova planta deſcripta eſt a BARRELIERIO w), qui cum nomine *alpinae ſaxatilis minoris flore albo* egregiam dedit iconem, licet ei nomen addiderit *ſcrophulariae folio* EDITOR, hic certe non felix. Sed & *Val. alpina minor planta palmaris* PLVKNETII x), & ejusdem *Valeriana minima planta ut plurimum uncialis* y) manifeſto ad noſtram pertinent, quod & VAILLANTIVS perſpicax intellexit. De MENZELIANA z) & CAESALPINIANA aa) & LOBELIANA bb) ſtirpe non ita certo conſtat. Reliqua ſynonyma hujus capitis, niſi fallor, omnia pertinent ad hanc noſtram *Valerianam, foliis ad caulem tripteris.*

§. VIII.

Alia eſt, & haud paulo obſcurior, *Valerianae* ſpecies, cui *radices* fuſcae, lignoſae, repentes, plerumque inodorae. *Cau-*

r) *Valeriana alpina Jt.* I. p. 51. cum certa deſcriptione noſtrae.

ſ) Eodem nomine C. B. *Comm. Acad. Pariſ.* 1722. p. 252.

t) Qui CLUSIANAE peculiare nomen dedit, poſt CASPARUM, *Valerianae alpinae alterius.*

u) *Hort. Maurocen.* l. c.

w) *ic.* 742.

x) *Almag.* p. 380. & *Phytograph.* T. 231. f. 7.

y) *Almag.* ib. & *Phytogr.* ib. f. 8. Nomen repetiit RAIUS *hiſtor. plant.* III. p. 242.

z) *Valeriana ſaxatilis foliis Trachelii* in *pug.* nomen utique noſtram videtur exprimere.

aa) *Valeriana inodora I.* L. IV. c. 5. conjectura eſt utriusque BAUHINI. Noſtra odora eſt, ſed reliqua conveniunt.

bb) *Valeriana montana Peliterii. Illuſtr. ſtirp.* p. 145. Deſcriptio non recedit.

Caules, praeter umbellam, non ramosi, ex una radice saepe plures, erecti, pedales, & ultra. *Folia* ad terram, pedicellis etiam nixa, levia, & virentia, sed figuræ diversae, & ima quidem ex rotunda ellipsi acuminata, ut fere violae folia imitentur: deinde alia, nam multa ad terram sunt, longiora, & ex ellipsi lanceolata, plicata ora, & aliquando vagis incertisque dentibus non acute exsculpta. Ad caulem una conjugatio foliorum sessilium, quae longiore mucrone sunt, & *Alsines* altissimae similia, nunquam terna, neque dissecta. Flos, stamina, Tuba, semen, simillima. In *Jurae* nemoribus ubique reperitur; supra *Dornach*, in *M. Nodz*, *Chasseral*, *Grandvi*, & alibi frequentissimam legi, in alpibus, uti dixi §. 7. not. e. rarior est. Haec planta, uti ex herbario CASPARI BAVHINI, & icone LVGDVNENSIUM certior factus sum, sollicita cura impensa, primum dicta est a LUGDUNENSIBUS *Valeriana montana*, a) cum icone, quae ima folia nostrae, ruditer, sed proxime exprimit. Ex ea nata est *Valeriana montana subrotundo folio* CASPARI BAUHINI, b) ejusdemque *montana alsines folio*, c) utcunque ad diversissimam d) stirpem hoc nomen usurpaverit VAILLANTIUS. Deinde PINACIS nomen repetiit TOURNEFORTIUS e) & TILLIUS. f) Haec

a) *Hist. gener. plant.* p. 1127.

b) in *Pinace*.

c) *Phytopin.* p. 293. ubi similem esse suae, sed diversam tamen adserit, contra praesens proprii herbarii testimonium. Sed amabat CASPARUS stirpium multiplicitatem, & saepissime eamdem bis tradidit, quando eam & viderat ipse, & in alio descriptam legerat. Ab eo vicio JOHANNES longe erat alienior.

d) 1722. l. c. refert ad *Nardo Celticae similem inodoram*, quae planta, in herbario sicco CASPARI BAUHINI conservata, diversissima est, *Nardis* adfinis, longo folio lingulae effigie, habitu stricto duro, Umbella exigua, foliis ad caulem longis & strictissimis.

e) I. R. H.

f) *Hort. Pisan.* p. 170.

Haec prima eſt claſſis nominum, quibus noſtra dicta eſt. Deinde CASPAR BAUHINUS ex vicinis montibus g) lectam ſtirpem a LUGDUNENSI ſeparavit, & pro nova deſcripſit, *montanae alterius* h) primum nomine, deinde *alpinae ſcrophulariae folio* i), quae certe appellatio minus apta eſt, cum noſtra, neque adeo acuta, neque acute ſerrata folia habeat, uti ipſa BAUHINI fidiſſima icon ſatis demonſtrat. Id nomen, & CASPARI BAUHINI deſcriptionem retinuit FRATER, k) deinde, ex ordine, planta plerumque non viſa, neque cognita ſatis RAIUS l), MORISON m), TOURNEFORT n), MAGNOL o), PLUKNET p), TILLI q), VAILLANTIUS r), & SCHEUCHZERUS ſ), ſed is gnarior, & cum ipſa notarum mentione. MUNTINGII t) & MENZELII u) nomen, & alterum, quod SCHEUCHZERO w) elapſum eſt, ex nomine CASPARI corrupta ſunt. Haec ſecunda eſt nominum ſeries,

g) Conf. *Catal. plant. circá Baſil. naſc.* p. 50.
h) *Phytopin.* p. 292.
i) *Prodrom. Theatr. Botan.* p. 87. & *Pin.*
k) *Hiſt. univ. plant.* III. p. 208.
l) *Hiſt. plant.* p. 390. (cum fatali aſteriſco, inde dubitatio num diverſa a CLUSIANA) *ſyll. plant. extrá Brit. naſc.* p. 390.
m) *Hiſt. oxon.* III. p. 102. In *Umbelliferis* non habet.
n) *Schol. Botan.* p. 153. &. I. R. H.
o) *Hort. Reg. Monsp.* p. 201.
p) *Almageſt.* p. 380.
q) *Hort. Piſan.* p. 170.
r) l. c. p. 252. ubi conjungit, forte ſeductus a *Phytopinace*, *alpinam alteram* C. B. Ea vero, repetitio eſt CLUSIANAE, quae dicta eſt §. VII.
ſ) *It. Alp.* I. p. 51
t) *Val. folio ſcrophulariae*; *waare oeffen. van de plant.* p. 545.
u) Eodem nomine in *pugillo plantar. rarior.* ſi quidem noſtram vult.
w) *Salix alpina ſcrophulariae folio It. Alp. V. p.* 428.

ſeries: Sed tertiam inchoat denuo BAUHINUS x) minor, quando *Valerianae montanae inodorae* ex Monte *Waſſerfall* lectae meminit: nam de ea, quam ſuae conjungit, CAESALPINIANA y) Valeriana, nondum liquet, an noſtrae ſit eadem. Id nomen apud AMBROSINVM z) & TILLIVM aa) exſtat.

Quarto loco eſt *Valeriana alpina foliis integris radice repente inodora,* quam RAIVS bb) in Helvetiae montibus lectam, pro nova ſtirpe egregie deſcripſit, & ex eo repetierunt MORISONVS, cc) PLVKNETVS dd), TOVNEFORTIVS ee) Quinto demum eadem noſtrae videtur BARRELERII *Valeriana ſaxatilis alpina minor, integris foliis Italica ff)* quam & TILLIUS ut omnia habet gg). Toties pro diverſa deſcripta, eadem ſemper eſt *Valeriana foliis omnibus integris ex ovato acuminatis, leviſſime dentatis.*

§. IX.

Adſcendebamus per herboſa paſcua *die Laushütte,* & jam prope culmen eramus, juxta praecipitem rupem, quales rarae ſunt his in locis, quando frequentiſſimum offendimus

x) in *herb. viv.*

y) *Valeriana inodora altera hiſt. plant.* l. IV. c. 5. Breviſſimus eſt CAESALPINVS, ut nihil definire liceat. Huc pertinet *Valeriana annua ex Ilva* CAMERARII *in horto Med.* 176.

z) *Phytograph.* p. 554.

aa) *Hort. Piſan.* p. 173.

bb) *Topographical obſervations* p. 438. *Syllog. ſtirp. extra Brit. naſcent.* p. 259. *Hiſtor. plant.* p. 389. ex *ſaleva* M.

cc) *Hiſtor. Oxon.* III. p. 102.

dd) *Almag.* p. 380.

ee) I. R. H. VAILLANTIUS cum ea, quae *Nardo Celticae ſimilis* eſt *inodora*, perperam conjunxit.

ff) Ic. 868. non optime noſtrae reſpondens.

gg) L. c. p. 169.

dimus *Petasiten monanthon* dictum VAILLANTIO a). In eius flore *flosculos hermaphroditicos* numeravi multos ad 28. cum tubo stamineo, & bicorni *Tuba*. Circumstabat eos corona *flosculorum feminarum*, numero fore decem, quibus bicornis Tuba, & rudimentum campanulae bifidum fuit. Quae certe & DILLENII b) observationi, & doctae LINNÆI c) emendationi conveniunt. Vicinos dumos late occupabat *Chamaecerasus alpina fructu gemino duobus punctis notato*, jam tunc delapsis floribus, ut valde praecocem esse appareat, & *Cacalia*, de qua alibi dicemus.

§. X.

Ibi ad oram praecipitii frequens provenit *Cervaria* illa ARETII d), & GESNERI e), deinde, JVNGII f), quam ad *Caryophyllatas* primus revocavit MORISONVS negligenter admodum relictam cum *Chamaedry*. Eamdem, quod calycis segmenta petalis non plura habeat, petala vero vix unquam pauciora habeat senis, a *Caryophyllata* separandam esse jam ante

a) *Mem. de l. acad. des sciences* 1719. p. 403.

b) *Hort. Elthamens.* p. 310. non alium, praeter vulgarem, *Petasiten* habere flosculos uniformes.

c) In *flor. Lapon.* & *Hort. Cliffort.* p. 411. Is enim *Petasites* cum *Tussilagine* conjungit, quod dentur *Petasitis* species thyrsiferae radiato flore, & aliae *Petasitis* species facie *Tussilaginis*, mediae ergo inter *Tussilaginem* & *Petasitem*. BOERHAAVIUS nostrum inter *Tussilagines* reliquerat. *Ind. alt. hort.* L. B. p. 101. PONTEDERA ob alienum a *Petasite* habitum minus feliciter junxerat *Senecioni*, non observatis flosculis femininis *dissert.* p. 155.

d) *Descr. Ness. & stokh.* p. 235. & in GESN. Epist. p. 116. b.

e) *Desc. mont. fracti* p. 63.

f) In *doxolog. phys. minor.* inter *homonymias plantar.* Vir acutissimus facile vidit non esse Chamaedryn, etiam ante MORISONI *praeludia*, quae anno demum 1669. produerunt. Eorum vid. p. 390.

ante aliquot annos g) monui. Sed idem ex propria obſervatione, exſecutus eſt LINNÆUS h), deditque ſtirpi in *Laponia* non infrequenti *Dryadis* nomen. Quod nomen, etſi a *quercu* deſumtum ſit, noſtra vero ſtirps, ſupra omnes ſylvas, apricis, aſperisque locis amet provenire, a ſimilitudine vero foliorum, nomina imponere ipſe nolit LINNÆUS, ſervari tamen poterit, ne diſſenſiones in infinitum creſcant.

§ XI.

In ſcrobibus editis *Acetoſa* montana *maxima* provenit, quae, contra conſuetudinem ſtirpium montanarum, longe altior eſt, & toto habitu laetior quam vulgaris a) illa, quae in pratis naſcitur. Sexus viſa eſt eamdem habere differentiam, noſtrae enim omnes meros femininos flosculos habuerunt, uti pridem obſervaveram, ſed ante me VAILLANTIUS b) & PONTEDERA c). *Vitis Idaea ſempervirens fructu rubro*, & ea quae *myrtillus grandis* etiam dicitur, & vulgaris *foliis crenatis* ubique per ericeta proveniunt, & *Ranunculus montanus aconiti folio albo flore* & aliae, ſed vulgaris notitiae montanae. Ergo ultima vice oculos ex ea ſpecula per ſubjectos agros urbesque late dimiſimus, & in *Lucernenſem* primum pagum, cuius caput *Lucerna* & lacus conſpicitur eminus, & *lacus Surſee*, & vallis *Endlibuch* altioribus montibus ſeparata a pago *Subſylvano*; deinde per late patentem *Argoviam*, magnumque illum *Jurae* ſinum, quo omnis *Helvetia* terminatur ad ſeptentrionem, lacusque

g) & *Cervariae* quidem nomine, quod antiquiſſimum eſt, *It.* in *Temp. Helvetic* Tom. I. S. IV. p. 557.

h) *Flor. Lapon.* 215. *Char. gener.* 419. & *Hort. Cliffort.* p. 195.

a) Cui conjungitur a LINNAEO in *flor. Laponic.* 130. & *Hort. Cliffort.* 131.

b) VAILL. in *botan. Pariſin.* p. 2.

c) *Epiſt.* ad TILL. p. 179. poſt *hortum Piſanum.*

que a *Bienna Morato*, & *Neocomo* nomen habentes, pulcro certe, & vario ſpectaculo: Deſcendimus deinde, & protinus in aquoſis frigidisque locis *Pinguiculam albam* frequentem legimus, Alpinam fere ſtirpem & excelſa amantem. In ea, quod, praeter morem ſui ſimilium, duo tantum gerat ſtamina, viſum eſt floris partes curioſius inſpicere. Et calycis quidem tria ſuperiora ſegmenta ſubrotunde exciſa ſunt, duo inferiora, quae intervallo diſtant a ſuperioribus, acuta magis. *Ovarium* nunc ſubrotundum, per floris perforati fundum emittit *Tubae* loco infundibulum, album, plicatum, & fimbriatum. Fundus vero floris retrorſum recurrit in breve calcar conicum, acuto mucrone flaveſcens, & per ſiccitatem rufeſcens. Anterior vero floris rictus ſuperiora duo ſegmenta ſubrotunda reflectit, inferiora tria majora, quorum medium pube maculisque flavis late diſtinguitur. Sub extremum fimbriatum finem Tubae recondunt ſe duo apices ſtaminum bicornium, quorum duo cornua ſuperna diſciformes apices, inferiora fungoſa flavaque corpuſcula gerunt, apicum quaedam quaſi imitamenta. Ea vero corpuscula, quae LINNÆI induſtiam fugiſſe videntur, conjungunt PINGUICULAM tetraſtemonibus, uti bicornia ſtamina *Sclareae*, *Salviae*, & *Hormini* plantas ſuas uniunt *Verticillatis*, licet nonniſi duo earum apices capſulas habeant, bini vero imperfectiora tantum & fungoſa corpuſcula.

§. XII.

Et haec fere ſunt, quae prima haec excurſio dedit. Valediximus enim monti *Arni*, cujus varios diſtrictus late per colles herboſos diſperſos obiveramus. Reduces ad ripam fluvioli, qui ad pedem montis *Arni* oritur, frequentem eam ſpeciem *Geranii* vidimus, quam alibi de-

 ſcripſi-

ſcripſimus a), in *Deſſio* veró monte & *Neocomenſium* dumetis montanis crebro legimus. *Gratiam Dei* vero *Germanorum*, Baſileae naſci, in pratis circa ipſa munimenta urbis prope *S. Petri* aedem, didicimus ab amiciſſimo STÆHELINO.

§. XIII.

In paluſtribus torfaceis uliginoſisque dumetis & pratis inter *Gumligen*, & pagum, cui antiquiſſimum nomen eſt *Muri*, creber est proventus *Vitis Idaeae magnae* & *Oxycocci* & *Thyſſelini Plinii*, & *Andromedae* foliis ſubtus albentibus, *Pedicularis paluſtris elatioris*, *Trifolii* demum *Lupulini*, quod exquiſite diſtinxit vir ſolidae eruditionis DILLENIUS b) *minoris alterius* nomine a *minimo* c) de quo alibi diximus, in univerſum ſimile, ſed foliis non ita cordatis, neque ſtriatis, floſculis reflexis pluſculis ad duodecim, habitu in univerſum ampliori. GMELINI etiam, veteris ſodalis, qui nunc ex Itinere *Kamtſchadkalenſi* redit, obſervationem d) facile oculorum judicio confirmavimus, torfam nempé congeriem eſſe radicularum *Sphagni molliſſimi candicantis*, putreſcentium, & cum terra paluſtri intime commiſtarum. *Pentaphylloides palustre rubrum* ibi frequens eſt, & ex rogorum ſede renaſcens *Jacobaea I. Pannonica*, & difformi flore *Chamaenerion*, cuius pulcherrimam iconem dedit de BRY e).

§. XIV.

a) *It. Hercyn.* XIV.
b) *Synops.* RAIAN. edit. III. p. 330. cum icone.
c) *It. Hercynic.* p. 5.
d) In *Commerc. Liter. Phyſ. techn. Med.* 1731 p. 348.
e) *Florileg.* ic. 42.

§. XIV.

Diebus aliquot elapsis, ad *Biennensium* & *Neocomensium* montes, illos dudum notos, hos nondum visos, iter suscepi exeunte mense junio. In prima sylva, Bernae vicina, quae a *Ruborum* copia dicitur *Bremgarten*, non solum *Hieracium latifolium glabrum ex valle Griesbachiana* f), & *Helleborinen angustifoliam purpurascentem*, & *Gallium montanum latifolium* provenit, sed elegans etiam *Grossulariae* varietas *rubro flore*, cujus aliquot stirpes juxta viam regiam in dumeto florere vidi, fructus vero maturos non inveni. Ejus, sed in hortis cultae, meminit CLUSIUS g), deinde IOHANNES BAUHINUS h), & RAIUS i), & BOERHAAVIUS k), neque facile ullus eorum, qui floras scripserunt. Est autem, uti recte LINNÆUS l), varietas vulgaris *Ribesii* hortorum fructu acido, cui cortice suo rubente, & omni habitu convenit. *Alpinus* autem *Ribes*, qui frequens in sylvis *Helvetiae*, & planioribus, & *Jurae* montosis, & ipso *M. Wasserfall* provenit, dulces aut insipidas baccas ferens, cortice est albo floreque virente m). Ejus, quod diversi saporis baccas generet, duas species facit CASPAR BAUHINUS n), &

f) I. B. II.

g) *Ribes vulgaris rubro flore*, *Pannon.* p. 119. *Hist.* p. 119.

h) *Hist. plant.* II. p. 98. dicitque *Ribem flore rubente.*

i) *Ribes fructu rubro majore hist. plant.* p. 1486.

k) Cum nomine I. B. *Ind. alt.* II. p. 254.

l) *Hort. Cliffortian.* p. 82.

m) Si quidem satis ab hortensi diversus est. Cortex differt, et sapor baccae, qui in sylvestri, si ejusdem esset plantae, deberet non mitior esse. Deinde, racemi in sylvatico erecti sunt, in hortensi pendent LINNAEUS l. c.

n) Aliam *Grossulariam sylvestrem rubram*, aliam *Grossulariam vulgarem fructu dulci*, in *Pinace.*

& ad eam, cui fructus dicit acidos eſſe, refert *Ribem ſylvaticum* GESNERI o). Sed is, cum tuſſi dicatur mederi, ad dulcem videtur pertinere, neque differre ab eo, quem in ſylvis *Auſtriae*, *Sileſiae*, *Thuringiae*, *Saxoniae*, *Laponiae*, naſcentem decerpſerunt CLUSIUS p), SCHWENKFELD q), RUPP r), BUXBAUM s), & LINNÆUS t), in ipſa denique *Helvetia* IOHANNES BAUHINUS u). Ut adeo poſſit expungi id genus *Groſſulariae*, cui *ſylveſtris rubrae* nomen fecit CASPARUS. Ea vero ſpecies, cui folium multo eſt amplius, & odore ingrato, fructus niger, tingens & olidus, eam uti *Tiguri* GESNERUS v), ita ad ſtagnum ego haud procul urbe patria reperi.

§. XV.

In ſylva *Frienisbergenſi* frequens eſt utraque *Pyrolae* vulgatior ſpecies, *piſtillis rectis*, & *mucronato ſerratoque folio*. Ad ſepes circá *Belmont*, *Barba Caprae foliis oblongis*. In foſſis circá *Nidoviam*, *Ranunculus aquaticus folio circinato tenuiſſime diviſo*, & *Sagittae* in *Helvetia* non frequentis *anguſtiore folio* varietas. In pratis humidis inter *Nidau* & urbem *Biennam* plurimum *Silaum flore luteolo*, & *Thalictrum majus ſiliqua anguloſa ſtriata*. Eſt ea urbs, lae-

o) *Hort. Germ. app.* p. 295 b. & *Ceanothi leve genus* p. 252. l. c. Conſentientem habemus JOHANNEM BAUHINUM.

p) *Ribes vulgaris fructu dulci Pannon.* p. 119. *hiſt. rar. plant.* p. 119.

q) *Stirp. ſileſ.* p. 182. vocat *Ribes inſipidum*.

r) *Flor. Jenenſ* p. 40.

s) *Enum. plant. circá Hal. naſc.* p. 284.

t) *Flor. Lapp.* 97.

u) In *Salève*, *Thuiri*, & circa *Baſileam*, II. p. 38.

v) *Amomum falſum*, *de hort. Germ.* p. 245.

laetisſimo loco, ut meo quidem judicio utar, ſita ad radicem vitiferam humiliorum montium, qui e *Jurae* altisſimis dorſis producti, ſimili decurſu, ſed propiores planitiei ad occaſum vergunt. Lacus ante portas eſt, vineis late ſeptus. Ad meridiem planiſſima prata vicinum oppidum *Nidau* conjungunt *Biennae*, terminata in lenes & umbroſos colles. Aquarum purisſimarum benigna copia, ex fonte omnium, quos unquam vidi, ſed vidi plurimos uberrimo, & purisſimo, qui in cavos rupium receſſus inmenſa profunditate ſe demergit, & unus fere ſingulis civibus ſuum fontem praeſtat.

§. XVI.

In duriſſimas rupes, paſſim ubi aliquid mollioris glebae adſperſum habent, vitibus conſitas, quae urbi ad ſeptentrionem inminent, cum certa ſpe non inutilis laboris adſcendi, comite adgnato, & vetere amico SALOMONE SCHOLL M. D. Protinus *Mahaleb* ſe nobis obtulit, odorato ligno frutex, longis & rectisſimis virgis, folio duro Mali ſylveſtris, fructu nigro, oſſiculum & nucleum Ceraſi habente, ſed macriori, &c. ſolitariis pediculis. Is ubique ſupra vineas, per univerſum *Jurae* tractum, & ſimilibus in *Valeſia* locis, plurimus naſcitur. Deinde *Iris Germanica*; & *Sedum majus vulgare* ſpontaneum, & *Knawel perenne albis calycibus*, & vulgaris *Globularia caule folioſo*, *Veronica recta ſpicata*, & ſuaviſſimi odoris *Achillea*, floribus ochroleucis, latiori folio, & magis ad indolem *Tanaceti* pinnato, & *Emerus*, & *Gramen avenaceum lanuginoſum*, quod modo *rarioribus glumis* eſt, modo *denſioribus*: & *Oreoſelinum minus*, & quae multe gratior fuit, *Saxifragia multifido folio Pannonica* CLUSII. Ea quidem tunc non florebat, ſed in *Dola* M. alio tempore cum flore legi, ſiquidem, ut videtur, erat eadem.

Ro-

Radix effoffa, conica, alba, refinofa, aromatica, ramos multos ex praecipuo capite fpargit. Ad terram frequens capillitium *folia* nafcentia ambit. Ampla hinc folia, & fere pedalia, cum viriditate glauca, ftriatis coftis *Biennae* quidem & viridiora, & magis multiplici divifione, quam quae in *Dolaz* legi. Coftae primariae pinnarum edunt pauca paria, haec fecundas pinnas, eae, tertia divifione alias, quarum fere trifida eft divifio, non remota a *Peucedani* indole, fed longe minor, ut vix unius tertiae partis lineae latitudinem aequent. In primis cujusvis alae foliolis faepe bifida tantum folia funt, alias fimplicia. *Caules* fulcati, in *Dola* M erant femipedales, multi. *Umbellae* fparfae in cacumine multae funt, & fingulares, neque arctius in unam majorem congregantur. Sub iis ramis *vaginae* non magnae longae, & ftrictae, in foliola laciniata terminatae. *Umbellae* exiguae nullum vel univerfale involucrum, vel partiale habent. *Flosculi* albi, tunc quando 1. Julii *Dolam* confcendi, nondum fe explicuerant, ut longe minus *femen* maturum viderim. Ab *Hippomarathro* RIVINI facile differt, cui habitus robuftior, dura folia, vaginae ad caulem adeo crebrae, & turgidae, ut vel folo eo habitu dignofcatur, demum latis ex albo & viridi variis foliis, quae umbellis partialibus funt pro involucro. Id addo, ut adpareat non recte conjunctam effe plantam noftram cum RIVINIANA x), quae *Selinum* eft *montanum pumilum* CLUSII y), a RUPPIO z), LINNAEO a) & humaniffimo ROYENIO b). Noftra planta tria apud plerosque Botanicorum nomina habet. Namque prima de-

x) Cujus eximia icon eft VAILLANTII, *Bot. Paris*. T. IX. f. 4.
y) *Pannon*. 701. 702. *hiftor*. CXCIX.
z) *Flor. Jenenf*. p. 226.
a) *Hort. Cliffort*. p. 103.
b) *Flor. Lugd. Bat. Prodr*. p. 112.

descriptio est CLUSII c), qui *Saxifragam Pannonicam dixit*, iconemque dedit non malam. Inde CASPARI BAUHINI *Daucus montanus multifido folio* in *Phytopinace* d), *multifido brevique folio* in *Pinace* e); *Saxifragia multifido folio Pannonica* IOH. BAUHINI f), CHABRAEI g), RAII h), PLUKNETII i), *Daucus montanus Pannonicus* PARKINSONI k, *Saxifraga montana minor multifido folio Pannonica* MORISONI l), *Seseli, quae saxifraga Pannonica* BOERHAAVII m). TOURNEFORTIUS non habet, & modeste facit, satis enim adparet, neminem eorum, quos auctores citavimus, CLUSII stirpem aut vidisse aut cognovisse. Sed eadem & CLUSIANAE & nostrae planta est, *Meum aliud* LUGDUNENSIUM n), quod in Allobrogum frigidis montibus lectum, etiam natali loco cum nostra montis *Dolaz*, sed figura foliorum, umbella radice & habitu praeterea convenit. Ea est *Meum Dauci Cretici fac-*

c) In icone *Pannon.* p. 698. lobos nimis multos integros aut bifidos fecit, & qui trifidi, ii non ad basin usque, uti par est, secti sunt. Habitus omnino umbellae adest, in *histor. rar. plant.* p. CXCVI. Idem nomen est apud AMBROSINUM *phytogr.* p. 481.

d) p. 260.

e) Ex *herbarii vivi* inspectione certus adfirmo. Idem nomen habet *flora Batav.* p. 10. & MORISON in *Umbellif.* p. 84. ubi jubet a *Daucis* auferri, ob semen striatum.

f) III. p. 2. p. 19. nihil addit iis, quae a CLUSIO habuerunt, neque sibi visam dicit.

g) *Sciagraph. stirp.* p. 383.

h) *Hist. plant.* p. 461. cum asterisco.

i) *Almagest.* p. 333.

k) *Theatr.* p. 896.

l) *H. Oxon.* III. p. 273.

m) *Ind. alt. hort. Lugd. Bat.* p. 50.

n) *Hist. gener.* p. 759.

facie CASPARI o) & IOHANNIS BAUHINI p), & RAII q), *Meum aliud minus* PARKINSONI r), *Saxifraga montana minor humillima ſive palmaris* MORISONI s). Quam plantam denuo, ut ſibi non viſam, ſapienter omiſit TOURNEFORTIUS, nemo enim eorum, qui ex LUGDUNENSIBUS eam repetierant, aliquid addidit ejus hiſtoriae, aut ſtirpem unquam vidit. Sed tertio denique loco, convenire videtur noſtrae plantae, ex brevi utique deſcriptione *Daucus petraeus glauco folio* IOHANNIS BAUHINI t), & eo magis crediderim intellexiſſe noſtram, quod minime in *Jurae* aſperis rara, ejus diligentiam vix potuerit effugiſſe. Eam ex IOHANNE BAVHINO repetit RAIVS u) & ad *Ammi* refert MORISONVS w), nihil addens deſcriptioni, ex quo videatur eam cognoviſſe. TOVRNEFORTIVS denuo non habet.

§. XVII.

Circá *Biennam* paſſim elegantes plantulae viſae ſunt. *Raphaniſtri* genus recte dictum KNAVTIO a) ex MORISONI ob-

o) In *Pinace*, ejus varietatis, quae longiori, & laxiori folio in *M. Waſſerfall* provenit, cuius folia omnino ſimillima ſunt. In *Phytopinace Meum alterum umbella alba* p. 254.

p) L. c. III. p. 2. p. 15. & CHABR. p. 383. Quaerit, an ſit Daucus breviſſimis foliis in *M. Pilati* viſus GESNERO, ſed ea videtur *Daucus* fuiſſe.

q) L. c. p. 460. cum aſteriſco.

r) L. c. p. 888.

s) L. c. p. 273. qui in *Umbelliferis* p. 76. removet eam a Meo, ſed ex ſola, ut fatetur, deſcriptione DALECHAMPII.

t) L. c. III. p. 58.

u) *Hiſtor.* p. 460. cum aſteriſco, quo videtur diſtinxiſſe omnes plantas ſibi non viſas neque certae notitiae.

w) L. c. p. 295.

a) *Enumer. plant. circu* Hal. *naſcent.* p. 21.

obſervatione, *diſpermon*, cum BAVHINI non ignoraverint quidem duos ſiliquae articulos, ſed negligentius diſſimulaverint, dicendo *monoſpermon*; & *Turritis Leucoji folio, Germaniae*, magis quam *Helvetiae* frequens, denique *Alyſſi* elegans ſpecies *fructu rugoſo Coriandri monoſpermo.* Ita voco plantam, quae ad *Alyſſon arvenſe folio auriculato acuto* I. R. H. ex naturali charactere proxime pertinet, ipſo fatente LINNAEO b), habitu toto, foliis & luteis floſculis, & ſiliculis erectis in longis pedicellis, & earum permanente Tuba ita ſimile, ut etiam absque VAILLANTII c) obſervatione, a *Rapiſtris* ad *Alyſſon ſegetum* debuerit revocari. Nunc & fructum novimus conſentire, rugoſum equidem, & rotundum, qui glaber est & conpreſſus *Alyſſo*, ſed pariter medio ſeptulo diviſum, licet omnino unum loculum in omnibus, quos multos aperui, vacuum habeat, alterum majorem, uno triquetro ſemine foetum. Habitum fructus rugoſum, neque inventoris GESNERI d), neque CASPARI BAUHINI e), neque LOESELII f); neque MORISONI g), icon exprimit. *Paronychia* vero *ſecunda* TABERNAEMONTANI h), ſi quidem huc pertinet, ut viſum SCHWENCKFELDIO i), omnino male pin-

b) Quo *Myagra* veterum, ex *Alyſſi*, *Rapiſtri*, et *Myagri* generibus in unum revocavit, contemta fructus diverſitate *Hort. Cliff.* p. 328. conſentiente ROVENO. *Flor. Lugd.* p. 330.

c) Qui ſeptum in media ſilicula obſervavit *Bot. Pariſ.* p. 171. & ad *Myagra* juſſit referri.

d) Apud CAMERARIUM in *Epit. Matth.* p. 902. nomen additum eſt *Pſeudo-Myagri alia minor ſpecies vaſculis rotundioribus.*

e) *Myagro ſimilis ſiliqua rotunda* Prodr. p. 52.

f) *Myagrum Monoſpermon ſiliquis rotundis Flor. Pruſſ.* p. 174. ic. 56.

g) *Sect.* III. T. 23. n. 5.

h) p. 804.

i) p. 36.

pingitur: ſed calyces ad baſin ſilicularum certo perſuadent, pertinere eam ad *Alyſſon campeſtre minus*, & verba SCHWENCKFELDI fere ea ſunt, ut de eodem dixiſſe videatur, licet noſtrae plantae nomen ex CAMERARIO excitet. Idem *Alyſſon* ex comitatu *Neocomenſi* habuimus a D. D. DIVERNOI.

§. XVIII.

In iisdem rupibus elegans illud *Phalangii* genus provenit, *parvo flore non ramoſum* dictum c. BAUHINO, quod florem *Allobrogico* illo *Phalangio* minorem gerat. Non bené fecit MORISONUS a), quod id *Phalangium* ſuadet conjungere cum *ramoſo parvo flore* paſſim in *Helvetia* frequente. Nam id foliis quidem & habitu non humilius, flore & fructu triplo eſt minore, licet pinguiori, quam alterum, & planiori loco naſci amet. Deinde ad ripam lacûs, in lapidoſo littore ſerpit *Ranunculus*, quem ante aliquot annos *Morati* decerpſi, eo omnino loco, ubi primum a BURSERO b) lectus eſt. Eum pro nova planta propoſuit in *flora Laponica* LINNAEUS c), *varietatum* perpetuus hoſtis, & cum nova icone denuo AMMANUS d). Sed, niſi omnino fallor, hic ipſe varietas eſt vulgaris *longifolii paluſtris*, maligno ſolo reptans, quae frequentes juxta caulem radiculas extrudit. Namque per continuos gradus, vidi recedendo a lacu, verſus uliginoſa prata, majorem fieri, & latiori folio, & denique a *vulgari* non ultra

a) *Hiſt. Oxon.* II. p. 333.

b) *Ranunculus longifolius minimus reptans* in *Catal. horti ſicci* BURSERIANI, qui exſtat in *Act. ſuecic.* 1724. p. 505.

c) *Ranunculus foliis linearibus caule repente flor. Lapon.* 236. cum nitida icone T. III. f. 5.

d) In *Iconibus plant. Ruthenicar.* p. 80. T. XIII. f. 1. Nomen fecit *Ranunculus repens gramineis foliis e ſingulis geniculis radiculas agens.*

tra differre. An idem eſt *flammeus anguſtifolius* LOBELII e)? In Lacu frequens eſt elegans *Potamogeton*, nimis anguſtis foliis pictus a JOHANNE BAVHINO f), lucidis, nervoſis *Plantaginis* foliis g), qui ex imo lacu, ex orgyarum plurium profunditate caules et folia erigit. Proximus eſt, ſi foliorum habitum & fabricam ſpectes, *Potamogitoni foliis latis ſplendentibus.* Incolae vocant *hechtenkraut*, quod in ſylvulis hujus herbae perpetuo ſubmerſis udisque lucis ſibi placeant *Lucii* piſces. Denique creber proventus eſt in vineis ad orientem ſitis, *ſelenitis rhomboidalis* quem *Pierre de Berne* h) vocaverunt academici Galli. Idem in *Stokhornio* M reperitur, & in omni Helvetia non rarus eſt.

§. XIX.

Bienna profectus die 29. Junii comitem habui eumdem D. SCHOLLIVM, cujus come ſodalicium in aliquot per *Jurae* culmina itineribus, anno 1731. & 1734.; alioque per alpes ſuſcepto anno 1732. expertus fueram. Supra vineas ericetum ſequitur dumoſum, plurima *Roſa pimpinellae folio* impeditum: deinde adſcenditur per ſylvam quernam, in qua & alias montanas plantas legi, & *Pedicularis* illam varietatem, quae cum nomine *Criſtae galli anguſtifoliae montanae* deſcribitur a CASPARO BAVHINO a). Eſt utique folio perquam anguſto, habitu alto, & ramoſo,

D 2 foliis,

e) *Illuſtrat.* 136. in tanta brevitate vocum definiri non poteſt.

f) *Fontalis lucens major* III. p. 777.

g) Recte dictus TOURNEFORTIO *Potamogeton alpinus plantaginis* folio I.R.H. niſi quod in omnibus, etiam ab alpibus remotiſſimis Helvetiae lacubus reperiatur.

h) *Hiſtoire de l'acad. des ſcienc.* 1724. p. 84.

a) *Prodrom.* p. 86.

foliis, quae inter flores ſunt, in caudas quaſi productis; Nam quod rictu ſit coeruleo, in eo nihil differt a vulgatiſſima *Criſta Galli* calyce levi, quae & in *Germania* & in *Helvetia* fere ſemper coeruleis barbulis, vix aliquoties pallentibus viſa eſt, loco paluſtri, prope *Bernam*. Sed, ut verum fatear, folii nervi & crenae, calyx, flos ipſe, ita ſe habent, ut non poſſim recedere a priori b) ſententia, et confirmatior nunc hanc *Criſtam Galli ramoſiſſimam* pro varietate vulgaris *pratenſis* habeam.

§. XX.

Ea ſylva ſuperata, prata ſequuntur acclivia, late patentia, & fertiliſſima, quae multum habent de alpina indole. Sparsa per ea dumeta viam reddunt obſcuriorem, quae ex *Corylis* aliquando congregantur, plerumque vero ex *Aria Theophraſti*. Ea etiam nunc nomine *Mälbaum* venit accolis. Primus inventor GESNERVS a) *Sorbum alpinam* fecit, quo nomine bona exſtat deſcriptio IOHANNIS BAVHINI b), nam icon nulla placet. LOBELIANA c) folia neque ſerrata ſatis, neque oblonga habet. Eam TABERNAEMONTANUS d) ſuam fecit. LUGDUNENSIUM e) flores quadrifidi pinguntur, folia meliora ſunt. Multa ibi *Linoſyris*, *Theſium* dicta LINNAEO, & *Lilium montanum floribus reflexis*, cujus petala, quando primum flos ſe explicat, repanda

b) *Diſſert. de Pedicul.* §. IV. p. 15. 16.

a) *De hort. German.* p. 282. b.

b) I. p. 1. p. 65.

c) *Adverſar.* p. 425. *Ic.* Tom. II. p. 167.

d) *Ic. omn. ſtirp.* p. 1021.

e) p. 202.

anda ſunt, uti albi *Lilii*, paulatim vero retorquentur donec mucrone fere baſin adtingant f). Id vario colore aderat, etiam *album*, punctis ferrugineis adſperſum.

§. XXI.

Paſſim ibi *Melampyrum flore minore flavo* a), miſtum vulgari, & *Pyrola tuba incurva*, b) & *Dentaria* folio quino, aut ſepteno, neque enim veram diverſitatem invenio; & coeruleo flore *Aconitum* c) ſivé *Napellus*, quem, nihil formidantes vulgi fabellas, & decerpſimus, & nuda manu absque noxa geſtavimus d): & *Geranium batrachioides montanum folio Aconiti*, & *Cacalia*, tunc in primis florem explicans. Ea autem ibi naſcebatur varietas, cui folia ſubtus albo tomento rariori pubeſcunt, qualis etiam in alpibus frequentior eſt. Altera varietas, folio utrimque glabro, in ſylvis *Montis Falconarii* poſt aliquot dies & ipſam legi. Varietates voco, quod nihil veri diſcriminis, quale quidem CLVSIVS e) propoſuit, in folii figura aut omni planta reperiam, tomentum vero, modo denſum, & album, modo rarum &, colorem folii vix

f) Uti in *Oxycocco* obſervat LINNAEUS.

a) Conf. *It. hercynic.* IX.

b) ibid. III.

c) Imo vero in *Britannia minore* innoxium eſſe, *des* LANDES *recueil d'obſ. phyſ.* p. 98. uti neque alterum *Aconitum* in *Laponia* noxium eſt LINN. *flor. Lapon.* 2[illegible].

d) Nam neque guſtaſſe venenoſas plantas unquam nocuit GESNERO, non ſemel temeritatis exprobrationem paſſo *Epiſt.* p. 57. neque demum etiam adſumſiſſe noxia *Epiſt.* p. 71. b.

e) Quod anterius non ita coeant, & pediculos non ſtriatos habeant, ſed teretes, *Pannon.* p. 501. *hiſt. rar. plant.* CXV. Sed in utraque invenio, modo ſubito mucronem in cordis ſpeciem exire, modo longum eſſe. & triangulare folium.

vix mutet, modo ſoli nervi pubeſcant, donec glabrities perfecta varietatum ſeriem claudat. Nihil ergo differre puto *Cacaliam foliis craſſis hirſutis*, eamque quae *foliis cutaneis acutioribus & glabris* dicitur. Ut eo minus curioſum eſſe oporteat in extricandis utriusque varietatis ſynonymis, neque CLUSIUM carpere, quod pro varietate glabra iconem dederit LOBELII f), deſumtam ex ſtirpe du CHOULIANA, montis nempe *Pilati*, quae hirſuta eſt: neque RAIUM, quod ad *glabram*, quam ſolam in *Jura* invenerat, ita citaverit IOH. BAUHINUM, quaſi is non utramque una voce conprehendiſſet, ſolam autem glabram propoſuiſſet. RAII lapſum g) tamen non poſſumus dimittere, qui *tomentoſam* conjunxit *hirſutae*; & BOECLERI enormem, qui *Cacaliam Alſaticam* propoſuit h) nomine *tomentoſae*, ſtirpis ſummarum alpium, ſine dubio de noſtra locutus. Fabrica floris ea fuit. *Calycis* quinque folia purpurea. ad baſin connexa. *Floſculi* in uno flore non ultra quatuor, pauciores, quam in ulla, quantum novi, congenerum, hermaphroditi: *Tuba* in cincinnatas antennas revoluta. Ut adeo congener ſit vulgari *Petaſiti*. Cognoviſſe eam videtur CORDUS, cui *Bechium ſylveſtre* eſt i), deinde GHINUS k), eodem Cacaliae nomine eam demonſtravit MATTHIOLO.

§. XXII.

Iniis pratis *Veratrum flore albo ſubviridi*, & *Rapunculus folio oblongo ſpica orbiculari* pasſim exit. Ejus flos non eſt monopetalos, neque campaniformis, recte id contra TOUR-

f) Ex *Adverſar.* p. 255.
g) *Hiſtor.* p. 291.
h) In HERMANNI *cynoſur. mat. med.* II. p. 488.
i) *Sylv. obſerv.* p. 222.
k) Apud MATTHIOLUM, p. 1185.

TOURNEFORTIUM DILLENIUS C. G. p. 65. Quinque enim ungues albi, ex quibus singulis singulae cyaneae ligulae educuntur, in cornu coeuntes, conglutinati sunt equidem ad basin, sed per maturitatem, & cornu & ungues, in quinque partes dissiliunt. Lati ungues ex quibus stamina longa educuntur, & tres *Tubae* unius antennae antiquam cum *Campanula* adfinitatem confirmant. *Siliculae* tres rotundae in unum *ovarium* etiam connascuntur. Caeterum ab hoc nostro vulgari certe *Rapunculo*, nihil differt *Rapunculus alpinus petraeus coeruleus foliis flori substratis longis angustioribus* SCHEUCHZERI in *Itin. alp.* VI. p. 460. frequentissime enim noster folium sub flore habet unicum. Neque *alpinus corniculatus foliis ab imo caule ad summum angustioribus* id. ib. p. 461. nam & hoc commune est nostro, & praeterea specimina *Tiguro* missa non differre confirmant. Multa hic *Campanula rotundifolia alpina* quae a vulgari & habitu molliori, splendente, & foliorum serris tenerioribus, frequentioribus, etiam ad caulem, & flore latiori quasi & magis ventricoso differt, colore variabili. Hic glaucam, & pene albam vidimus, alias etiam albam, sed plerumque saturé coerulea est. Deinde per montanam planitiem, tritico consitam, per pagos *Lamblingen & Deß* versus *Linieres*, in pratis fere montanis iter fecimus. Ibi multa *Gentiana major lutea*, ut in omnibus Jurae & alpium humilioribus pascuis. In ea *calyx* aperto flore dissilit, spatham efficit ad unum latus hiantem, altero in quinque dentes non profunde sectam, *flos* ex brevi tubo, ut quasi rotatus aliquando sit, in quinque vel sex segmenta ultra dimidium sectus. *Stamina* quinque longis rubris apicibus inserta. Ad ortum ovarii tot viridia tubercula, quot floris sunt laciniae. Ab extremo ovario repanda cornua. *Semina* in fusiformi ovario

mul-

multa difciformia. Ergó haec *Gentianarum* certe & ob fpeciofam magnitudinem, & ob vim medicam princeps, differt a pene omnibus fui generis, flore ultra dimidium tubi incifo, & glandulis fub ovario virentibus; quarum notarum priorem habet SWEERTIA a) LINNAEI, pofteriorem non eamdem, fed nectaria tamen, licet fpeciofiora fint &c. Ergo, fi quidem feparandae funt *Gentianae*, huic principi plantae poffit relinqui nomen antiquum GENTII, reliquis tubulofos, & infundibuliformes & campanae effigie flores habentibus nomen inponi CENTAVRII; cum omnino ex rei veritate LINNAEUS b) *minus Centaurium* conjunxerit *Gentianae*. Sed ut verum fatear, nimia eft florum *Gentianarum* varietas, qui modo ex lato tubo modice finduntur in quatuor c) & quinque d) lacinias, pene planas, cum ornamentis, aut auricularum fimilibus e,) aut fimbriatis f), aut nullis g), modo ex tubo gracili ad angulum rectum reflectunt floris fegmenta, cum auriculis pene ad *Lychnidum* morem h), ut certe aut

a) *Char. gener.* 126. *Hort. Cliffort.* p. 53.

b) *Char. plant.* 97. & *flor. Lapon.*

c) Breviffima in *cruciata*, cui tubus modice latus eft, longiora in *Gentiana coerulea oris pilofis.*

d) In *pratenfi flore lanuginofo*, quae quatuor & quinque laciniis ludit, & omnibus, quae ad notas *e* & *g* recenfentur.

e) Et plerumque reduplicata fiunt fubftantia floris, fegmenta minora interiiciente divifionibus majorum, uti in *Gentiana Alpina magno flore*, ea quae *Afclepiadis folio* eft, & *anguftifolia autumnali majori.*

f) In utraque pilofa.

g) In *majori purpurea*, & *majori flore punctato.*

h) In *alpina pumila verna majori*; in *elegantiffima* CAMERARII, in *Gentiana utriculis ventricofis*, in *alpina pumila centaurii minoris folio.*

aut plura genera, aut unum praeſtet ſtatuere. *Glandulae* veró non ejus videntur dignitatis, ut noſtrae genus mutent. *Gentiana* praeterea, cui fauces piloſae ſunt, in *Jura* M. menſe Junio abunde floret, in Germania demum Septembri. De ea, certe confuſiſſime a ſcriptoribus exhibita, alias dicemus.

§. XXIV.

Ad *Neocomenſem* comitatum pertinet pagus *Linieres* ex lapideis aedificiis eleganter exſtructus, & late patens. Inde per dumeta deſcendimus ad pagum *Creſſier*, qui in valle eſt Lacui *Neocomenſi* & *Biennenſi* interjecta, ſupra quem & *Mahaleb* iterum, & *Trifolium ſpica longiſſima rubente* magna copia naſcitur. Breve inde iter *Neocomum* fuit, ubi a Medico Regio D. Divernoi comiter exceptus, multas elegantes plantas & vidi, & accepi, quas in *Helvetia* vel naſci deſperaveram, vel non inveneram ipſe, ut *Euphraſiam folio tenuiſſime diſſecto* Boccone a), *Valerianoidem*, & *latifoliam* b), & *anguſtifoliam* c), & alias. Comes ei fuit D. Gagnebin, qui in *Ferrariis* officinis vallis *Erguel* Medicinam utramque exercet, multasque & in *Cottiis* Alpibus, & in noſtra *Helvetia*, *Jurae* que, quas incolit, vallibus rariſſimas ſtirpes legit. Huic commode ex *Valle Rivaria (vaux de Ru)* adlatum fuerat gratiſſimum donum, *Limodorum Auſtriacum*, nova civis, quae ſpecioſo ſpectaculo mire mihi placuit. *Scapus* erat ſquamis temere ſparſis obiter veſtitus, ſed longiſſima violacea ſpica ornatior, totus & ipſe violaceus. *Siliqua* uncialis, orchidea. Ex ea ſupremum latum petalum, magnumque. Ad ejus

a) *Muſ. di piant.* T. 60. naſcitur in *Creux du vent*.
b) Ad muros arcis *Neocomenſis*.
c) Ex *Creux du vent*. ubi invenimus inmaturam.

ejus latus duo majora petala; totidemque intercesserunt minora, qualia solent *cucullum* efficere *Orchidum*. Lata *barba*, integra, qua re differt a *Nido Avis*, & facile demonstratur Clusium in *historia rar. plant.* d), non *Limodorum* quod descripserat, sed *Nidum avis* depinxisse, icone desumta ex Lobelianis e). A Barba calcar conicum descendit, eaque ad fauces alba est. In centro floris *staminum* machina semilunaris, fungosa, in qua resident duo apices. Ea fabrica Limodorum ab *Orchide* separat, etiam si radices & habitum aphyllon repudies. Nam *Orchidi* perpetuo membranei duo cuculli sunt, in quibus petiolati apices reconduntur. Similis *Nidi avis* fabrica in mentem hic mihi redit, qua non alia evidentius *Tubae* officium demonstrat. Nempe ex suprema ovarii sede, continua erigitur spongiosa firma substantia, ex qua petala proveniunt, cylindrica fere, quae superne brevior crassum & articulatum corpusculum gerit. Id corpusculum ad superiora quidem obtusa rotunditate terminatur, inferius duos *loculos* gerit, polline luteo plenissimos. Eos sustinet *foliolum* elasticum, paulo longius, linguae figura, terminatum fine fusco & triangulari, ortum ex inferiori sede emarginata spongiosae, quam dixi, cylindri. Inter id foliolum, & loculos staminum, continuus *canalis* ducit in continuum ovarii cavum, conspicuo argumento, viam esse semini masculo staminum ad impraegnanda ova. *Orchides* eam viam habent, sed paulo obscuriorem.

§. XXV.

d) p. 270.

e) ubi certe Lobelium immerentem accusat Iohannes Bauhinus. Non enim Lobelius *Limodori* iconem pro *nido avis* dedit, sed Clusius *Nidum avis* exhibuit nomine *Limodori*. Potest error Plantini fuisse, qui omnes icones Lobelii, Dodonaei & Clusii possidebat.

§. XXV.

Postridie lacus opportunitate usus sum, ad montis *falconarii* radicem, comitibus iisdem amicis, D. D. DIVERNOI & D. GAGNEBIN, & D. SCHOLLIO, pernoctaturus. Pulcherrima certe hic terrae facies est. Lato aequore & raro minaci lacus *Neocomensis*, separat *Jurae* radices a mollissimis clivis, qui retro se positum habent lacum *Moratensem*. Urbs cultissima, elegantes villae, pagi mundissimi, fabricae omnis generis, vineae, & permisti scopuli, retroque vineas adscendentes herbosi montes, efficiunt certe picturam, in qua vix deficit, quod placere possit. Atque jam adtigeramus plantatas ex ordine *Tilias*, quae pulcherrima ambulacra praebent, prope *Colombiers*, praedium celebre olim futurum possessore MURALTO a,) eminus videramus nascens in arenis ad lacum *Glaucium flore luteo* & speciosum illud *Chamaenerion angustifolium* b), quando resistens venti vis inter Occasum & septentrionem oriunda, quam praecipuo nomine *ventum* c) dicunt, frustra diu contra conatos repulit *Neocomum*, laboris premium id solum nacti, quod paulo propius Montem nostrum conspexissemus.

§. XXVI.

Altera die, quae I. erat IULII, molliori jam coelo, denuo lacui nos commisimus, & sereno aëre advenimus

 in

a) Auctore *literarum de Anglis*, *Francis* & *Itineribus*.

b) TOURNEFORTIUS Alpinum dixit, non apposite. Arenas amat, fluviorum alveos, lacuum littora. Nascitur in *Vallesia*, planissimis locis, ad ripas torrentium & *Rhodani*, in ipso alveo fluvii *Arve*, ad ostium fluvioli *Wiese* prope *Basileam* &c.

c) Athenis ocreatus magno suo merito & aquam fundens pictus est, nomine Σκιρων, SPON *voyag. en Gréce & en Dalm.* II. p 136.

in pago *S. Aubin*, qui paulo minus leuca diſtat a monte, quem *Falconarium* IOHANNES BAUHINUS a) vocat, vulgo a celebri *Creux du vent* nomen habet. Neque morati, poſtquam corpora procuravimus, inminente fine diei cepimus per agros & prata, deinde per ſylvam humiliorem, & infidas umbras inclinanti ſoli apertas adſcendere. In ea, ad montis fere radicem frequens fuit *Veronica maxima*, de qua aliqua addere viſum eſt, cum adeo in omnibus *Floris* rara ſit, ut paucos inveniam etiam Claſſicos auctores, qui certo eam viderint. *Folia* equidem & habitum habet vulgatiſſimae, cui *folia ima rotundiora* ſunt, imo veró & hoc habet commune, unde illa nomen habet. Sed altior eſt, & fruticoſior, ut ad pedes tres, & quatuor adſcendat. Deinde *folia* atrovirentia, multo acutiora habet, quam vulgaris, & *urticae urentis* ſimillima, acutis dentibus, longoque mucrone. Sed floris etiam evidentius eſt diſcrimen. Is in ſimilibus racemis ex alis foliorum prodeuntibus naſcitur, ſed in planta multo majori minor, ut vix duarum linearum diametrum expanſus ſuperet, inaequalis equidem, ut maximum ſegmentum ſit ſupremum, imum minimum, media medio modo ſe habeant, ſed nunquam coeruleus, perpetuo languide carneus, pictus venis, quae ex albo tubo purpureae veniunt. *Stamina, Tuba, Ovarium*, non evidenter differunt, hoc conpreſſum, emarginatum, & in utroque loculo polyſpermon eſt. In *Helvetia* fere ubique in ſylvoſis frigidis. Prope *Bernam* in ſylvula *Weilerholz*, ad algida ambulacra, quae toties adii, delectatus remota ſolitudine: ſub clivo *Sandrein* ad *Arolam* in dumetis. Circa balneum *Weiſſenburg Auguſtae Rauracorum*, in valle *Emmenthal, Creux du vent* &c. CLUSIus

a) III. 56.

us a) eam non videtur descripsisse. *Teucrium* enim *Pannonicum I.* quod ad suam non satis dubius refert IOHANNES BAUHINUS, & ex coeruleis floribus, & ex folii figura est *Veronica supina folio Teucrii pratensis*, qualis altior in herbosis Helvetiae collibus saepè prodit. Sed LUGDUNENSES *veronicam maximam* b) dixerunt, cum icone non mala, uti non incommoda est IOHANNIS BAVHINI c) icon; qui Genevae inventam, absque synonymo, vocat *Chamaedryn falsam maximam, an Teucrium I. sive majus Pannonicum Clusio?* Ex LUGDUNENSIBUS dixit in *pinace* CASPARUS *Chamaedryn spuriam majorem latifoliam.* *In Phytopinace* vero *spuriam majorem primam* d). *Chamaedrys* veró *mas* utraque CAMERARII e) de quarum *altera* dubitavit CASPARUS, videntur omnino verae *Chamaedryes* esse, non Veronicae. Neque *Chamaedrys fruticosa* JUNGERMANNI & HOFMANNI f) huc videtur facere, sed ad CLVSIANVM illud *Teucrium* I. Apud PARKINSONUM quod non invenio, miror. RAIUS LUGDUNENSIUM plantam non vidit g), IOHANNIS BAUHINI nomine vero dixit idem *Teucrium* I. CLUSII, h) neque MORISONUS verbis, quae exscribit, LUGDUNENSIUM, quidquam addidit i). TOURNEFORTIus

a) Pannon. p. 612. & ic. p. 613. quod in *historia* 1111. est p. 349.
b) p. 1165.
c) III. p. 2. 286. si quidem, quod dubium est nostram velit. Eadem est CHABR. p. 428.
d) p. 474.
e) *Hort.* p. 39.
f) *Flor. Altdorf. delic. sylv.*
g) Teste Asterisco, *histor. pl.* p. 848.
h) ib. 849.
i) *Hist. oxon* II. p. 322. L. 23. S. III. fig. 18. vocat *Veronicam maximam latifoliam s. quercus folio,* quae similitudo non a natura desumitur.

us k), GARIDELLUS l), TILLIUS m), MAGNOLIUS n) nomen habent LUGDUNENSIUM, absque ulla distinctionis nota: neque quidquam HERMANNUS o), & PLUKNETIUS p) & BOERHAAVIUS q) & AMMANN r) reliquerunt, ex quo constet, eam ipsis fuisse cognitam. Unus superest BUXBAUMIUS, qui *Veronicam* s) *pratensem omnium maximam*, in Bithynia inventam ita depinxit, ut nostrae sit simillima: neque loci natalis insignis diversitas nos terret, cum *Olympus* s) & *Cappadocia* Alpinas, *Byzantinus* autem ager Pannonicas CLUSII ferat, eodem teste t) BUXBAUMIO.

§. XXII.

In iisdem sylvis plurima eleganti spectaculo nascitur *Rosa non spinosa*, ramosissima, folio levi duro, flore odorato, vividissimi coloris Kermesini, centro pallente, fructu raro lenissimis spinis & ad basin solum hirto, plerumque levi, uti tota planta glabra est, praeter petiolos florigeros, qui hirsutiem aliquam habent. In ea planta observo

k) *Veronica maxima* IRH. in *Schol. Bot.* vero nomen habet C. B.
l) *Hist. des plant. qui naiss. aut. d' Aix* p. 485. eodem nomine.
m) *Hort. Pisan.* p. 171. Nam is fere nullam TOURNEFORTII plantam non habet.
n) *Hort. Reg. Monsp.* 203. eodem nomine.
o) *Flor. Batav.* p. 72. cum nomine MORISONI.
p) *Almagest.* p. 343.
q) *Ind. alt.* p. 225. si quidem nostram intellexerit, nomen enim amicissimi ROYENII appositum plantae BOERHAAVIANAE videtur demonstrare, quod *Teucrium* I. sub nostrae nomine in horto Leydensi alatur. *Flor. Lugd. Batav.* p. 303.
r) *Char. plant. natur.* p. 327.
s) *Cent. I. rar. plant.* p. 23. T. XXXIV.
t) *Centur.* II. p. 25.

ſervo, I. Omnino huc pertinere, *Roſam ſylveſtrem quae a Majo nomen habet, ſpinis non perindé minacibus* GESNERI a). Nam idem *Roſas majales ſine ſpinis* vocat alibi b). Deinde II. *Roſae ſylveſtris genus tertium* TRASI c) iisdem pene vocibus deſcribi, quibus GESNERVS uſus eſt, & eodem pertinere: Ut adeo *Roſa ſylveſtris odoratiſſima rubro flore* CASPARI BAUHINI expungi poſſit, & ad *Roſam* ejus X. referri, quo & XIX. revocari debet. CORDI certe *quarta Cynosbatos*, d) ſi lanuginoſa & incana folia habet, longe utique a noſtra diſtat. Deinde *Roſa ſaxatilis minima flore ruberrimo* CAMERARII e) cujus icon admiſta eſſe videtur aliis *Roſis* in una tabella depictis, ſatis ſimilis eſt noſtrae. *Roſa Graeca & Cynorrhodon leve* ex monte *Pilati* f) odoratum LUGDUNENSIUM noſtra eſt, & facit ut noſtrae eadem ſit *Roſa canina ſpinis carens biflora* CASPARI BAVHINI. *Roſa alpina pumila ſpinis carens*, BVRSERS g) omnino huc pertinet. Bona vero deſcriptio eſt IOHANNIS BAUHINI h), quae & RAII i) eſt, uterque, vero in *Jura* M. noſtram legit. Nam in *Dolaz* M. & in aſperis rupibus, qua ex *Vogelberg* deſcenditur in *Waſſerfall*, eamdem legi anno 1736. *Roſa Provincialis minor* k,) quam

a) *Hort. Germ.* p. 126.
b) *Tabb. coll. ſtirp.* p. 102. b.
c) p. 988.
d) *In Dioſcorid.* I. c. 124.
e) *Epic.* p. 99. GESNERIANAM in *horto Medico* p. 144. *Cinnamomeam ſimplicem* vocat.
f) p. 126.
g) *Act. ſuecic.* p. 535.
h) *Roſa rubello flore parvo ſimplici non ſpinoſa* II. p. 39.
i) eodem nomine RAII p. 1470. & *ſyll. ſtirp. exter.* p. 219.
k) p. 1085.

quam ad noſtram excitat TOVRNEFORTIVS, nihil mutata ſententia per reprehenſionem IOH. BAUHINI, ea manifeſto ſpinoſa eſt.

§. XXVIII

Paulatim *Aria* & *Ranunculus montanus aconiti folio* frequentius viſi. Et hic quidem trium, quatuorve pedum altitudine, ſemper idem viſus eſt cum Alpino humillimo. Deinde *Thalictrum alpinum aquilegiae folio ſtaminibus floris, albis, flavis, & purpur aſcentibus* : *Cyanus major* ; *Oreoſelinum majus* ; *Chriſtophoriana* : *Prenanthes* VAILLANTII *latifolius flore purpureo* : *Meliſſophyllum albo, & carneo flore. Valeriana alpina folio ſcrophulariae* : *Geum rotundifolium majus* : *Polygonatum anguſtifolium non ramoſum*, & aliud *flore majore odoro* : *Hieracium latifolium glabrum ex valle Griesbachiana*, & aliud *aſperius Conyzae folio* ; *Myrrhis paluſtris latifolia* ; *Dentaria* ; *ſiler montanum* ; *Lonchitis aſpera* ; *Polypodium anguſtifolium flore vario*, omnino alio genere, & proprio, dignum, cum inter noſtras filices ſolum ſeminalia folia propria, & diverſa gerat a ſterilibus a). *Laſerpitium foliis latioribus lobatis* : *Melampyrum floribus parvis luteis* ; pluresque aliae.

§. XXIX.

Frequens erat ad viam, uti in omnibus Alpium humilioribus paſcuis non infrequens eſt, *Cardui* genus, vulgare, ſed obſcuriſſimae notitiae. Ego *Carduum mollem* voco, *foliis rigidis molliter ſpinoſis, ſcapo longo paucifloro. Radix* longa lignoſa eſt. *Caulis* unus plerumque, aut plures, erecti, cubitales, & ultra, alis foliaceis ſpinoſis paſſim obducti, quas faciunt foliorum initia, priusquam

a

a) RUPPIUS *Spicant* dixit. An LINNAEUS ad *Acroſticha*?

a caule recedant. *Folia* ſolida, & dura, perpetuo glabra, nervo medio conſpicuo, margine omni mollibus, & perexiguis ſpinulis aſpero, alias pene integro, ut ſalicina aemulentur, alias dentato, alias profunde, & varie laciniato; Color hinc ſature viridis, inde caeſius, ſive ex glauco pene virens, non ſine lutei miſtura. *Rami* pauci, iique fere non folioſi, *florem* gerentes, qui erigitur equidem, ſed poſtquam vigor plantae declinavit, pendet et invertitur. Is magnus eſt, colore ex laeta purpura dilutiori. *Calycis* ſquamae longae, ſimplices, innocuae, apice non recurvo, virentes, mucrone ſaepe purpuraſcente. *Floſculi numeroſi*, in quinque lacinias profundiſſime ſecti. *Tubus* longus, *Staminum cylindrus* alba eminens, purpurea: *Tuba* ſimplex; *Semen* ſtriatum, coronatum, pappo ſimplici, argenteo, in thalamo papposo. Hujus, adeo frequentis plantae, antiquam deſcriptionem nulla reperio. Nam etſi utcunque convenit icon *Cirſii majoris ſingularibus capitulis magnis*, C. B. quae exſtat in *Obſervationibus* LOBELII a), diverſiſſima tamen eſt, habitu, & plumoſo pappo. Ita *Cirſium Pannonicum primum pratenſe* CLUSII b) foliis quidem caeſiis convenit, & loco natali, & habitu monoclono; ſed diverſum eſſe, ex *herbario vivo* CASPARI BAUHINI didici, atque refero nunc ad *Cirſium* ſimile noſtro *Carduo*, ſed mollius, quod in altiſſimis pratis *les Moſſes* inter *Aquilegiam* & *Chateau d' Oex* olim reperi. Sed BAUHINORUM prima hic eſt inventio. Et varietas quidem laciniatis foliis, eſt *Carduus dictus Cirſium, folio laciniato nigrius* IOHANNIS BAUHINI c) lectum in *Waſſerfall* & *Thuiri*, *Jurae* partibus

a) *Cirſium majus* ic. 582.
b) In *Pannon.* 656. & *in hiſtor.* CXLVIII.
c) III. I. p. 43.

bus, frequens etiam mihi visum est. Inde RAIVS d), qui prope *Genevam* eamdem plantam reperit, historiam non illustravit. MORISONVS e) male retulit ad *Carduum Asphodeli radice*, neque enim tales sunt nostro, neque dixerat IOHANNES BAVHINVS, sed *Hellebori nigri* similes. Verum alter frater, CASPARVS, in eodem *M. Wasserfall* idem invenit, descripsit, dixitque *Cirsium angustifolium* f). Inde *Cirsium angustifolium Germanicum* PARKINSONI g). Recentiores, & princeps TOVRNEFORTIVS, nihil addunt. Sed altera varietas, *foliis integris*, in eodem *M. Wasserfall* lecta est a CASPARO BAVHINO, ibique, & protinus supra *Dornach*, etiam ego inveni. Id nominavit *Cirsium capitulis singularibus parvis* h), & synonyma fecit *Cirsion* DODONAEO i), *Cirsium III. montanum I.* CLVSII k), *Cirsium alterum* LOBELII l), haec certo, CÆSALPINIANVM ex conjectura. Verum id, simile utcunque nostro, in maritimis regionum calidarum provenit, ubi & RAIO visum est, loco certe remotissimo a subalpino, quem nostrum solum amat. LOBELIVS omnem similitudinem excludit, quando caules *teneros* dicit: DODANAEVS autem *Lactucae* foliis conparat, cum nostro folia sint duritie *Lauri*, caulisque firmus. Figura, uti in universum non re-

d) *Syll. plant. extra Brit.* p. 85. *histor.* p. 305.
e) III. p. 151.
f) *Prodr.* p. 155. *Catal. plant. circa Basil.* p. 102. & *Pin.* p. 377. Idem nomen exstat in RAII *syllog. plant. extra Brit. nasc.* p. 99. & in I. R. H.
g) p. 962. *Theatri.*
h) *Catal. plant. circa Basil.* p. 102. *Pin.*
i) In *purgant. histor.* p. 451. *Pemptad.* p. 737. edit 1616.
k) *Pannon.* p. 655. *histor.* p. CXLVIII.
l) *Observ.* p. 314. *Adverf.* p. 251. *icon.* p. 382.

recedit, ita nimis ramosa, & frondosa est. Nisi velimus CLUSIANAM plantam cum nostra conjungere, DODONAEI & LOBELII stirpem, utcunque eadem omnes icone sint usi, separare, & a nostro, & a CLUSIANO *Carduo*. Quod, & si non probabile videtur, forte non esset a vero remotum. Nostram enim plantam CLUSIUS, qua erat diligentia, vix potuit non vidisse. IOHANNES tamen BAUHINUS & RAIUS nullibi ejus in Helvetia inventae meminerunt, sed exscripserunt fere ex CUSIO.

XXX.

Jamque enixi per sylvam, aliquamdiu delectati pulcherrimo prospectu per lacum *Neocomensem* & pagi *Aventici* magnam partem latissime patente, per angustam vallem, mistam sylvis & pascuis, iter nostrum ursimus. In sylvis *Cacalia glabro folio*, & *Campanula folio drabae minoris* nascuntur. Et ad hanc quidem, quod confusior sit ejus historia, aliquas animadversiones addimus. *Radix* unus est napulus scaber & teres. *Caulis* angulosus rectus, ad duos pedes, & ultra. *Folia* leniter hirsuta, & aliquando glabra a), ora acute denticulata, brevi acumine, & aliqua *urticae* similitudine. *Calyx* capillaribus segmentis; floris color semper visus est coeruleus intensus. Multi caeterum ex alis foliorum, uno fere versu prodeunt in raram spicam, & in eo, uti toto habitu, *campanulam hortensem* rapunculi radice refert. Ea est *Campanula Drabae minoris foliis* CASPARI BAUHINI b), qui ex *Thermis Valesiis* habuit, ubi copiose eam legi; nam in alpinis pratis, & praetera similibus locis & in

a) Id ideo addo, quod JOH. BAUHINUS suam *flore dilutiori* glabram dicat, CASPARUS vero suam, *folio Drabæ minoris* subasperam.

b) *Prodr.* p. 36. & in *Pinace.*

in *Urſaria* valle, & circa *Canderſteg*, & in *M. Suchet*, qua parte ad pagum *Baume*, viperarum copia non incelebrem, deſcenditur, non rara eſt. Ex eo PARKINSONVS c), & RAIVS d), & TOVRNEFORTIVS e) eodem ſervato nomine. Deinde ipſe TOVRNEFORTIVS huc revocavit *Rapunculi genus folio ſerrato rotundiore* f) IOHANNIS BAVHINI, quod ex *Stiria* habuit, conſentiente SCHEVCHZERO, neque recedente icone JOHANNIS. Erit ergo *Campanula ſtiriaca nonnihil hirſuta imis foliis rotundioribus per ambitum profunde crenatis* PLVKNETI g), & *Rapunculus folio ſerrato rotundiore flore convolvuli* MORISONI h), qui JOHANNEM ſunt ſecuti. Sed omnino etiam videtur huc facere *Campanula alpina urticae foliis minor, floribus reflexis, & unico ordine diſpoſitis flore coeruleo* PONTEDERÆ i), quam pro nova dat, diverſam ſolo colore a *Campanula alpina glabra flore dilutiſſime cœruleo* IOHANNIS BAVHINI k). Nam & haec, repetita a MORISONO l), TOVRNEFORTIO m), RAIO n), TILLIO o), noſtrae eadem omnino videtur, quam ſiccam, quod non temere autumo, acceperat

c) *Theatr.* p. 646.
d) p. 733. cum aſteriſco. *Syll.* p. 81.
e) I. R. H. & *Schol. Bot.* p. 75.
f) II. p. 798. CHABR. p. 261. SCHEVCHZ. *It. alp.* I. p. 47. Simile nomen eſt *Campanulae foliis ſubrotundis* CASPARI BAVHINI, ſed eam in *notis meis* invenio folio paulo rotundiori a noſtra differre.
g) *Almageſt.* p. 77.
h) *Hiſt. Oxon.* II. p. 455.
i) *Comp. Tabular. Botan.* p. 74.
k) II. p. 806 CHABR. p. 263.
l) *Hiſt. Oxon.* II. p. 453.
m) I. R. H.
n) *Hiſtor.* p. 738. cum aſteriſco.
o) *Hort. Piſan.* p. 29.

rat ab AGERIO BAUHINUS, colore vitiato, ut solet. Denuo, idem est p) *Rapunculum Teucrii* folio BARRELERII q), qui *Rapunculus* est *alpinus Teucrii folio rhomboidalis* COCCONIS r), & *Campanula alpina Teucrii folio angulato* I. R. H. Tandem eadem omnino videtur nostrae, *Campanula hortensis rapunculi radice* SCHEUCHZERI s) in *valesiorum* altis pascuis lecta, cum ea *Campanula* similis utique nostrae, & maxime calycis latis segmentis diversa, alta loca & alpina non amet, nostra vero, iisdem locis in *Valesia* frequens sit.

§. XXXI.

In pascuis, quae in mediis sylvis pinguissima offendimus, pulchra *Orchidum* genera proveniunt. *Orchis purpurea spica congesta pyramidali*, cujus egregiam iconem debemus DILLENIO, a) & *Orchis rotundus* DALECHAMPII b) frequens in *Jurae* pratis, sed & in praealtis alpium gramineis a me repertus in *M. Rohtenhorn*. Tenuis ejus est memoria. LUGDUNENSES brevem historiam habent, iconem adeo rudem, ut pene sit inutilis. CASPARUS BAUHINUS nihil addidit, praeter falsum epitheton *lutei* floris b*), quod (ad emendationem forte FRATRIS) correxit in PINACE c). Nihil JOHANNES BAUHINUS d) addidit, nihil RAIUS,

 prae-

p) Consentiente SCHEUCHZERO. l. c.
q) *Icon. posth.* 567. quae bona est.
r) *Mus. di Piante* p. 75. T. 61.
s) It. VII. p. 510.
a) *Synops.* RAIAN. III. T. XVIII.
b) p. 1556.
b*) *Phytop.* p. 122.
c) Ubi dixit *Orchidem globoso flore.*
d) Nomen retinuit DALECHAMPII. II. p. 765. CHABR. p. 250.

praeter locum natalem e). PARKINSON f), MORISON g), TOURNEFORTIUS h), &, qui nulla ſtirpe caret, TILLIUS i), non videntur plantam vidiſſe. VAILLANTIUS k) etiam expungere conatus eſt. Nomen ejus habent etiam SCHEFFERUS l), KNAUT m) & BUXBAUM n), & THALIUM o) citant auctorem. Sed THALIUS quidem *umbellatum* florem dixit: Ipſi vero nihil addiderunt, ex quo diſcamus, quod plantam noſtram viderint. Sed nimis ſingularis eſt fabrica floris, quam quae omittatur. *Teſticuli* quidem de more, & *folia* oblonga modice acuminata, conveniunt generi. *Spica* breviori eſt habitu, & denſiſſima, qualis in *nigra* eſt. Foliola ſub ovariis longula. *Ovarium* longum, & gracile. *Barba* trifida, ſegmentis lateralibus ſimplicibus, medio leniter trifido, interjecta diviſioni ſpinula, punctato. *Cuculli* vero petala ab omni alia *Orchide* remotiora, nam omnia in longam caudam graciliſſimam producuntur. Eorum duo, quae interiora ſunt, puncta etiam habent. *Color* vero ubique roſeus. *Calcar* longum. *Machinula Staminum* ex more gentis. Poſſet ergo veriſſimè dici, *Orchis ſpica brevi denſa petalis caudatis.*

§. XXXII.

e) *Hiſtor.* p. 1216. cum nomine C. B. Invenit in montibus circa *Genevam. In Syll. plant. extra Brit.* p. 191. *Orchidem rotundam* DAL. vocat & CASPARUM contra FRATREM male defendit.

f) *Cynoſorchis capitulo globoſo Theatr. Bot.* p. 1345.

g) Cum nomine C. B. III. p. 492.

h) Eodem. I. R. H.

i) *Hort. Piſan.* p. 124.

k) In *Botanic. Pariſin.* p. 194. refert ad *Orchidem Pannonicam* IIII. CLUSII.

l) *Orchis rotunda Dal. delic. Bot Halenſ.*

m) *Orchis rotunda flore puniceo magno. Enum. plant. circa Hal.* p. 71.

n) *Enum plant. curatior.* p. 241. eodem nomine.

o) *Orchidis ſpecies flore in umbellam Sylv. hercyn.* p. 81. 82.

§. XXXII.

Cum ea & hic, & in pratis *Grandvi*, uberrime provenit *Orchis palmata angustifolia Alpina nigro flore* a), odore non adeo, ut in alpibus eximio, qui oleum-caryophyllorum stillatitium aemulatur. Accolae vocant *Jalousie*. Planta nota est. Flos singularis, & ni fallor, non satis cognitus. *Spica* densa est & brevis. *Foliola* sub ovariis longa, purpurea. *Ovarium* brevissimum, valde pro portione longitudinis latum. *Flos* inversus. In angulo nempe acuto, inter ovarium & scapum intercepto, *Calcar* est brevissimum, ut pene nullum sit, & *Barba* ad latus duobus dentibus incisa, lata & triangularis, hederae folio non absimilis. Sed Calcar & Barba solent sub ovario esse, in angulo ovariis cum scapo obtuso. In eo vero loco in *nigra* Orchide cucullus est, qui quinque fit petalis, quorum duo reliquis angustiora sunt. Haec omnia ex atro purpurascunt. Domuncula staminum coccinea, apices lutei, ut in *Orchide fucum referente*, nam in plerisque speciebus sunt virides. Commode itaque diceretur *Palmata angustifolia flore supinato, calcare brevissimo*.

§. XXXIII.

Superata hac valle, per sylvam abiegnam, ingruente nocte, non absque aliquibus erroribus, per tenebras in alpinam casam, sed lautiorem, pervenimus, haud procul *Noiraigue* pago vallis *Travers*, sub ipsa ima valle, quae dicitur *Creux du Vent*. Ibi fragis melle & lacte liberaliter excepti, ut solennis jubet Helvetiorum monticolarum hospitalitas, quieti

a) Omnium primo dicta RHELLICANO in *Stockorniade*, quae apud GESNERUM *de M. Fracto*. prostat, anno 1536.

b) Neque bene descriptus a SCHEUCHZERO *It. alp.* IV. p. 339.

ti nos dedimus, nam ante diluculum viam denuo ingressi sumus, die II. Julii. Non *Digitalem parvo flore*, neque *Trollium* valde morati, quae plurimae ibi nascuntur, pervenimus ad scendendo in *caveam* vastissimi amphitheatri, solidis & abruptis ad perpendiculum rupibus in semicirculi speciem cinctam, nova loci facie. Patet vero & ad vallem, unde veniebamus, & ad occasum per difficilem aditum *le pertui de la bise*, ad orientem demum faciliori per sylvam adscensu. Paululum substitimus mirati altissimos quasi muros, nulla manus opera erectos, falconum, & vulturum tutissimas arces, deinde incumbentes angustae valli aeternas sylvas, ex frequenti ruina, quam dederat venti inmanis saevitia per omnes fere *Helvetiae* sylvas, etiam magis, & horridas & inpeditas. Sed statim poti ex gelidissimo fonte, diversos in calles secessimus, conventuri denuo in pascuis *Grandvi*. Ego ad Orientem adscendi, per salebrosam viam mediasque sylvas. Ibi plurima *Lunaria siliqua longiore*, & *Cardamine hirsutior*, loco subhumido & umbroso.

§. XXXIV.

In iisdem umbrosis & udis, similibusque locis per omnia montana *Helvetiae*, multum provenit *Leucojum vernum perenne album majus* a), cujus non memini, quod aut rarum, aut monendum sit, idem esse *Leucojum vernum perenne album minus* I. R. H. b), id enim dudum alii senserunt: sed ut conparem cum *Turritide minore* c) I. R. H. Ab ea enim planta, nae non facile utique distinguet, qui utramque plantam per varias aetates persecutus fuerit. Folia, flores siliquae,

a) *Draba* II. Clus. *Pannon.* p. 562. *histor.* CXXIV. CXXV. bené.
b) *Draba III. succulento folio* Clusii *hist.* CXXV.
c) Zanichellii icon 170. & C. B. *Prodr.* p. 42. nomine *Erysimo similis hirsutae albae*, commodae sunt.

liquae, similia sunt. Ego sollicite comparatis multis utriusque speciminibus, invenio florem *Leucojo* paulo majorem, siliquas paulo latiores esse, habitum magis brachiatum, & procumbentem, siliquas a caule majoribus angulis recedentes, folia paulo, sed non multum, profundius serrata. Varietas *Leucoji* incola summarum alpium saepé flores habet lividos fere violaceos. Sed & id *Turritis minor* imitatur. *Nectaria*, quae LINNAEUS d) in *Leucojo* nostro invenit, & tanti facit, ut etiam genere distinguat, ea in meis siccis invenire non potui. An quod de diversis plantis loquamur?

§. XXXV.

In iisdem nemoribus, conspicua statura erigitur *Carduus mollis foliis imis laciniatis, superioribus integris, squamis calicis reflexis*. Is, quoniam paucissimis cognitus est, meretur describi. *Folia* ejus ima valde a superioribus discrepant, suntque *Dipsaci* laciniati, aut Acanthi foliorum non dissimilia, costa lata, ad quam primo vagae solutaeque pinnae junguntur, deinde latiores, & ipsae non leviter serratae, quarum ultimae in latum quasi urticae folium, longum, mucronatum, acute serratum confluunt. Omnis margo mollissimis pilis quasi ciliis ornatur. Pars cauli obversa subhirsuta est leviter, prona album tomentum ad nervulos habet, sed tenue, & rarum. Suprema *folia* absque ullis pinnis, uno continuo ambitu terminantur, ex difformiter elliptico productiori, paulo magis tomentosa. *Caulis* altissimus est, vidi olim qui meam statuam superaret, profunde sul-

d) *Char. gener.* 544. *Hort. Cliffort.* p. 335. *Flor. Lapon.* 257. Humanissimus ROYENIUS & ipse ad *Arabim* refert *flor. Leid. Prodr.* p. 339.

fulcatis, aliis spinosis subinde abundans, fragilis. *Flores* ad caulis & ramorum vertices congesti, & seni septenive ad unum petiolum sessiles, quam primam cum *Lappa* similitudinem habet. Sed *calyx* & ipse *Lappam* imitatur, gracilibus squamis, quarum apex mutata directione vel ad latus, vel retrorsum etiam, gracili mucrone flectitur, in eo diversus a *Lappae* calyce, quod non brevissimo hamulo, circulariter flexo, sed longo mucrone, eoque utcunque falcato terminetur. *Flosculi* purpurei profunde dissecti. Seminis *pappus* simplex, quo a *Cirsiis* VAILLANTII differt. Passim in *Jura* provenit, v. g. ad longam illam accliveimque viam, quae ab *Orvins* versus *M. Chasseral* ducit; deinde in valle *Grindelia* in dumis, priusquam pagum subeas; in valle *Ursaria*, & circa *Thermas valesiorum* ad sepes. Non est certe noster, *Carduus mollis latifolius* a CASPARO BAUHINO in *Prodromo* a) descriptus, quem *Lappae capitulo* vocat in *Pinace*. b) Nam folia ei tribuuntur rumicis. Neque *Cirsium acanthoides altissimum polycephalon Lappae capitulis* VAILLANTII c) utcunque nomen conspiret; nostro enim pappus non est plumosus. Sed omnino videtur huc referri debere *Cirsium majus caule alato polycephalon capitulis majoribus personatae aemulis* a SHERARDO lectum in *Jura* M. prope *Genevam* d).

XXXVI.

Passim in humidis *Chrysosplenion* provenit, quod in Germania semper alternis foliis provenire, & differre a DODONAEI a) *Saxifragia aurea*, dudum ante PETITUM b) obser-

a) p. 155.
b) p. 377.
c) *Memoir. de l' Acad. des scienc.* 1718. p. 203.
d) *In syll. Stirp. extra Brit. nasc.* p. 399.
a) *Pemptad.* p. 316. qui conjugata folia pinxit.
b) *Lettres dun Medecin Namur* 1710, *lettre* III. p. 39.

ſervavit JUNGIUS c). Deinde & prius, quam penitus ex ſylva ad ſcopulos perveniatur, *Cynogloſſum minus folio virente.* Tum vero paulatim tenuior ſylva, graminea ſpacia relinquit, quibus ad Auſtrum modicæ rupes opponuntur. Ibi, mutato loci ingenio, ſubito multæ plantæ proveniunt minutiores, & magis alpinæ.

XXXVII.

Primam memoramus *Biſtortam alpinam minimam*, quæ adeo ſæpe repetita eſt apud Scriptores rei herbariæ, ut operæ precium videatur diſperſas nomenclationes in unam colligere. Antiquiſſimum nomen eſt ARETII a), qui *Biſtortam minimam uno in caule foliolo* legit in *Neſſo*. GESNERUS *Limonii ſpeciem minorem* b) dixit in altis montibus naſcentem. Deinde CLUSIUS *Biſtortam minorem* c). In ejus icone folium imum ellipticum deſideratur, nervi tamen ad oram folii exprimuntur. Sed CAMERARIUS d) iconem eximiam propoſuit, quæ folia ima elliptica, nervis ad oras exiguis, egregie exprimit: verum eam a GESNERO habuiſſe videtur, plantam ipſam parum cognoviſſe, ſiquidem alibi e) cultu in vulgarem ſpeciem degeneraſſe dicit, quod in tanta diverſitate ſeninis foliique fieri poſſe non videtur, CLUSIANAM vero, æque nervoſis foliolis, æque longa ſpica & gracili præditam, a ſua diſtinguit. LOBELIUS *minoris & minimæ* in *Adverſariis* f) absque diſtinctione, in *Illuſtra-*

c) *De homon. plant.*
a) Poſt CORDUM. p. 234. b.
b) *Add.* ad p. 265. *de hort. German.*
c) *Pannon* p. 478. *hiſtor.* LXVIII.
d) *Biſtorta minor ſ. Alpina Epit.* p. 684.
e) Dicitque *Biſtortam alpinam minimam hort.* p. 28.
f) p. 121.

tionibus g) vero *Bistortam minimam nostratem* pro nova describit, incertum, qua nota distinctam. JOHANNES BAUHINUS h) ut solet, sapiente consilio usus, CLUSII & CAMERARII plantas conjunxit. Contrario more FRATER *Camerarianam* in *Phytopinace* i) *minorem*, in *Pinace alpinam mediam* dixit, CLUSIANAM vero illic quidem *minorem alteram*, hic *alpinam minorem*. PARKINSONUS una addita ex LOBELIO tres habet, *minorem* nempe *nostratem* k) a LOBELIO, *minorem alpinam* l) ex CLUSIO & CAMERARIO, & *minorem pumilam variam* m) ob foliorum diversitatem denuo pro nova. Ab eo tempore etiam aucta est confusio; cum enim MORISON in hortensi stirpe, per ocium observato semine, id rotundum esse inveniret in *Genevensi* & *Westmorlandica*, PARKINSONIANAM vero, incertum ex qua traditione, existimaret simile semen habere vulgari, tres denuo plantas fecit, *Bistortam minorem seu Alpinam* n) ex CAMERARIO o); *Bistortam pumilam foliis variis rotundis & longis* ex PARKINSONIANA *varia* p); *Bistortam alpinam minimam soboliferam* q) ex CLUSIO, nam & is suo tempore jam observaverat, ludere *pumilam Bistortam* foliolis loco seminum in spica provenientibus. *Minorem* vero *nostratem* PARKINSONI omisit, aut tacite junxit *soboliferæ*. Idem in iconibus etiam multiplica-
vit

g) p. 80. Semen primus subrotundum describit.
h) *Bistorta minima* III. p. 539. ex M. *Thuiri* CHABR. p. 507.
i) p. 357.
k) p. 392. pro distincta a stirpibus veterum. Id nomen habet MORISON in *hort. Bles.* p. 29.
l) Ibid.
m) Ibid.
n) *Hist. oxon.* II. p. 585.
o) Qui & ipse, si recte video, semen habet gigartinum in icone.
p) Ibid.
q) Ibid.

vit errores. Nam pro *majore radice magis intorta* noſtram pinxit, ex crenis marginalibus facile agnoſcendam, CAMERARIANAM vero, quam a CLUSIANA in deſcriptione ſeparaverat, conjunxit in icone r). RAJUS, ſapiens ſcriptor neque amans ſpecierum inutilium, ſeminis figura motus, quam vere exiſtimaverat obſervatam a MORISONO, *Biſtortam alpinam pumilam variam* ſ) PARKINSONI ſibi non viſam, ſeparavit a ſua *Genevenſi*, etſi pene ultimo certitudinis gradu conſtare videatur non duas, diverſiſſimo ſemine, *Biſtortas* in alpibus naſci, quarum utraque folia ima ſubrotunda, reliqua longa habeat. Idem RAJUS non auſus eſt *Biſtortam alpinam mediam* t), nempe CAMERARIANAM, conjungere CLUSIANAE ſiue *minori* u), cum omnino evidens ſit, iconem ſive GESNERI, ſive CAMERARII, noſtram exprimere foliis ludentem, oris crenatis, *Jurae* & alpium incolam. Ergo & PARKINSONUS, & MORISON, & RAJUS tres reliquerunt *Biſtortae* ſpecies, quae nihil a ſe invicem differunt. Eadem deinde ratione HERMANNUS w) & *mediam alpinam* ex CAMERARIO habet, & *alpinam minimam ſoboliferam* x) ex CLUSIO. SUTHERLANDUS y), SIBBALDUS z) VOLCKAMER aa), BOER-

G 3 HA-

r) *Sect.* V. T. 28. f. 3. & 5.

ſ) *Hiſt.* p. 187. In *Synopſi* III. p. 147. vocat *Biſtortam alpinam minimam foliis imis ſubrotundis, & minutiſſime ſerratis*, quod nomen, ex PLUKNETIO ortum, fere definitio eſt noſtrae, licet pro nova, & a CLUSIANA & CAMERARIANA diſtincta exhibeatur.

t) *Syll. ſtirp. extra Brit. naſc.* p. 77. & *Hiſt.* l. c.

u) *Cat. plant. Angl.* p. 42. *Hiſt.* 187. *Syn.* III. p. 147. quo revocat *minorem noſtratem* PARKINSONI.

w) *Flor. Bat.* p. 140.

x) *Flor. Bat.* l. c. *Hort. Lugd. Bat.* p. 89.

y) *Hort. Edimb.* p. 50.

z) *Scot. illuſtr.* p. 13.

aa) *Flor. Noric.* p. 64.

HAAVIUS bb) hoc nomen repetierunt. TOURNEFORTIUS cc) vero, MAGNOLIUS dd), TITA ee), & TILLI ff) *alpinam minorem* vocaverunt post CASPARUM BAUHINUM. Et TOURNEFORTIUS gg), & TILLI hh), *alpinam mediam* distinxerunt, eumdem secuti. PLUKNETUS ii) *alpinam mediam* ab ea separat, quam eo nomine dixit, quo usus est DILLENIUS in *synopsi* III. RAII ll). Interim in ultimo septentrione visam vir industrius MARTENS mm) eam depinxit: MENZELIUS nn), ex varietate CLUSIO & MORISONO visa, dixit *minimam spica prolifera sive foliolis ex spica proliferis*, & ob eamdem varietatem RUDBEKIUS oo) *Bistortam alpinam minimam soboliferam*. SCHEUCHZERUS *alpinam pumilam variam* dixit pp). PONTEDERA observavit, florem plerumque album esse, quod verum est, novum nomen qq) fecit, quod non erat necesse. WEINMANNUS rr) pro more suo, ita depinxit *Bistortam alpinam minimam*, ut nemo agnoscat. LINNAEUS ss) *Bistortam* dicit

bb) *Ind. alt. hort. Lugd. Bat.* II. p. 87.
cc) *Schol. Bot.* p. 7. I.R.H.
dd) *Bot. Monsp.* p. 33 & H.R.M. p. 33.
ee) *Hort. Maurocen.* p. 28. & *It. alp.*
ff) *Hort. Pisan.* p. 24.
gg) *Schol. Bot.* l. c. & I.R. H.
hh) l. c.
ii) *Almagest.* p. 68.
ll) *Bist. min. alp. foliis imis subrotundis & minutissime serratis.*
mm) *It. Spitzberg* c. 7. T. I. lit. *a.*
nn) *Pugill. plantar.*
oo) *Act. suecic.* p. 96.
pp) Inventam in *Rhaetiae* Alpibus *It.* II. p. 130.
qq) *Bistorta minima candida comp. Tab. Botan.* p. 29.
rr) *Phytanthozoiconograph.* T. 245.
ss) *Flor. Lapon.* 152. *Hort. Cliffort.* p. 150. Idem nomen exstat apud ROYENIUM p. 217. cum synonymo CLUSIANO.

dicit *foliis lanceolatis*, & ad eam refert, post MORISONUM, illam *folio minus rugoso radice magis intorta*, quam pene certus sum esse varietatem *vulgaris majoris*, nullas ad oram crenas, neque spicam gracilem habentem, neque folia ad terram elliptica, uti ex iconibus FUCHSII conparatis tt) satis constare potest. Eas notas, cum non habeat *Bistorta montana minima* BARRELERII uu), ad *majorem* potius videtur referenda esse. Tandem AMMANUS ww) *Bistortam* describit in Sibiria lectam, quae procul dubio eadem nostrae est, flore albo, semine subrotundo, sobolifera. Reliqua vero omnia nomina, adeo multa hic recensita, sunt *Bistortae foliis variis ad oram nervosis, semine gigartino*, quae ubique, & in editioribus *Jurae*, & in asperis alpium pascuis provenit.

XXXVIII.

In illis lapidosis plurimus provenit *Ranunculus* ille *albo flore minimus*, de quo loco opportuniori dicetur a), & *Saxifragia sedi foliis serratis*, & *Filicula saxatilis caule tenui fragili*, & pulchrum *Alchimillae genus folio quinquefolii subtus argenteo* a*), in alpibus & *Jura* passim frequens, cujus ideo memini, ut separem ab *Alchimilla alpina quinquefolia* CASPARI BAUHINI b), quae, cum eadem sit cum *Alchimilla alpina pentaphyllea minima lobis fimbriatis* BOCCONE c), nostræ aliquando

tt) p. 773. 774. conf. *It. Hercynic.* XIII.
uu) Icon. 489.
ww) *Plant. Ruthen.* n. 243. p. 199.
a) §. LXXVII. LXXXI.
a*) Cujus egregia icon est GESNERI apud CAMERARIUM *epit.* p. 908. Alibi *Argentariam* dixit, *descr. mont. fract.* p. 61. & *Argentariam petraeam hort. German.* 248.
b) *Prodr.* p. 138. & *Pin.*
c) *Mus. di piante.* p. 18. T. I.

quando non optime conjuncta est ab eximio LINNAEO c); Haec enim nihil habet villosi, neque argentei, & folia multo minutius *Ranunculi* quadam forma divisa, summarum alpium incola. Character nostræ idem est cum *vulgari* quatuor staminibus, semine. Umbilicus calycis villo expletur, qui saepe fuscus & niger fit, unde singularis plantae habitus oritur.

XXXIX.

Multa etiam ibi *Androsace alpina perennis angustifolia glabra*, quae plerumque flore est multiplici, diversissima a *Diapensia* LINNAEI a), quae mihi incognita & nova stirps visa est. Nostrae enim certe *calyx* semiquinquefidus, & *Campanulæ* calyci similis est, quam praecipuam adfinitatem habet cum *Androsace altera* MATTHIOLI b). Neque enim novi, num ea decem illas *nostrae glandulas* habeat in centro tubi floris, ubi expanditur, facientes corollam, qualis est in *Scorpiuro palustri*. *Calycem* vero communem certo nostra non habet, nec peculiaris *calycis* folia serrata, neque floris segmenta integra d), neque magnam illam calycis ad florem rationem e), ut folia omittam, quae non bene characteri *Androsaces* inmiscuit magnus BOERHAAVIUS f). Caeterum nostrae commodam iconem dedit CLUSIUS g) Tres alias Helveticas, adgnatas nostrae, alias dicemus.

XL.

d] In *flor. Laponica* 67. Nam in *horto Cliffortiano* sententiam mutavit.

a) *Flor. Laponic.* 88.

b) Cujus pulchra est icon in *Epit.* CAMERAR. p. 639.

c) TOURNEFORT. I. R H. T. 46. A.

d) ibid ter. & KNAUT *Char. plant. gen.* 42.

e) Nostræ enim flos facile ultra calycem expanditur.

f) *Hort. Lugd. Bat. Ind. alt.* p. 201.

g) *Sedum alpinum alterum lacteo flore Pannon* p. 489. 490. *Sedum minus X. histor.* LXI. ic. LXII.

§. XL.

Multa ibi *Pulsatilla alba*, & *Pinguicula* Gesneri, & *Campanula alpina rotundifolia minima.* Sed in primis, jam a Johanne Bauhino eodem loco lectus, *Daucus Creticus*, cujus hic quidem varietas *rariori folio, & longiori & pene glabro* nascitur, superius in planitie montis *falconarii*, quæ summa est, altera varietas, *brevi* & *hirsuto* folio & *latiori* frequentior est. Hujus *Dauci*, in omnibus *Alpibus*, & in altioribus *Juræ* pratis non rari, historia confusissima est, ut eam expedire non sit inutile futurum. In Dauco ergo, *breviori & hirsutiori folio, radix* magna conica, perennis, fuscis foliis obducta, plures caules, multaque folia fundit, squamosoque, neque piloso capite terminatur. *Folia* ad terram prodeunt ex longis, latis & striatis vaginis, quarum quaelibet vel unum, vel terna edit denuo divisa *folia totalia.* Horum *maximo*, si tria sunt, conjugatarum accedunt alarum non facile ultra sex paria: Harum alarum, quæ primæ, & *maximæ*, denuo quatuor fere tertia divisione pinnas educunt. Quarum denuo, quæ *maximæ*, tria congesta conjugata segmenta habent, quorum prima trifida, aut quadrifida, secunda bifida, tertia simplicia esse solent, ultimo inpare, brevia omnia, vix trium linearum longitudine. Hæc in maximis, reliqua & minores & pauciores divisiones habent. Ultima segmenta semper aliquam latitudinem servant, ad tertiam lineæ partem, nihilque habent de capillari habitu *Mei* vel Fœniculi. Omnia hæc præ hirsutie albescunt ex viridi. *Caules* palmares pedalesque multi, similia, sed minora, ex latis magnisque foliis *folia* educunt, hirsuti ipsi, firmique. Sub *umbella involucrum universale* quatuor vel quinque fit *foliis* inæqualibus, longis, quorum, quæ latissima, ea lata sunt unam lineam. *Octo* fere umbellis *minoribus* fit major, aut parum intra eum numerum, aut ultra. Quarum denuo quælibet calycem habet ex quatuor

quinque, ad ſeptem, latiuſculis foliis hirſutis factum, ex albo virentibus, mucronatis. *Semina* hirſuta, ſtriata. *Petala* alba, paulum inæqualia, ita profunde diviſa, ut ex duobus ſibi adplicatis ſemicirculis fieri videantur, aut cordis profundius diſſecti imagine. *Stamina* alba quinque. Alba etiam placenta duas *Tubas* memoria dignas edit. *Odor* & *ſapor* acris & aromaticus. Reperi in M. *Scheidek vallis Grindelwald*, in M. *Dolaz*, alibique. In *altera varietate*, omnia ſimillima, ſed glabra, & ſegmenta longiora, habitusque laxior. Et de *Dauco* quidem MATTHIOLI a), quem & utraque *Epitome*, *Italica* b), & CAMER. c) repetit, & CASTOR d), & LUGDUNENSES e), & TABERNAEMONTANUS f), de eo nihil lucis habeo, quod adferam. CASPARUS BAUHINUS g) eum diverſum exiſtimavit, conjunxit FRATER non ſine conjectura, MATTHIOLO ſuum *Daucum* parum cognitum fuiſſe. JOHANNEM BAUHINUM plerique recentiorum h) ſequuntur, BOERHAAVIUS CASPARUM i). Sed ad noſtrum pertinet *Daucus montanus breviſſimis & minutiſſimis foliis* GESNERI k), & certo *Daucus creticus* ejusdem l), cujus etiam iconem habet inter CAMERARIANAS m). *Legitimus daucus Creticus* CLUSII n) *Daucus cretenſis*

a) *Daucum* I. 779.
b) *Daucum* p. 480.
c) Ibid p. 535.
d) *Herb. nuovo* p. 155.
e) *Daucus* I. *Matth.* p. 716.
f) *Daucus creticus* p. 45.
g) Dixitque *Daucum fœniculi foliis tenuiſſimis* Pin.
h) RAJUS, MORISON, TOURNEFORT &c.
i) Qui *Creticum* MATTHIOLI vocat *Myrrhidem Orientalem folio anguſtiori Peucedani ſemine villoſo Ind. alt.* p. 69.
k) *Deſcr. mont. fract.* p. 64.
l) *Hort. Germ.* p. 292. b & *add.* ad 256. b ex *montibus Rhæticis.*
m) *Epit.* p. 36. in *horto* vero *Creticum verum* dicit. p. 54.
n) *Pannon* p. 700. *hiſtor.* CXLVIII. absque icone.

tensis verus Diosc. LOBELII o), lectus in *Genevensium montibus*; *κιγοκεγχρος* THURNEISERI p), si quid in eo homine serii est; *Daucus Creticus semine hirsuto* JOHANNIS BAVHINI q) ex hoc ipso, in quo versamur, *Falconum monte*. *Daucus montanus umbella candida* CASPARI BAVHINI r), & ejusdem *Daucus montanus multifido longoque folio sive montanus umbella candida* s), in posterioribus operibus, cujus varietatem, *longiori & rariori* t) legit in *M. Wasserfall*; *Daucus alpinus Cretico similis* PARKINSONI u). Et hæc facile fluunt, primus rem impedivit MORISONVS, quando CAESALPINI w) obscuris *Daucis* non satis intellectis, & planta, ut ex ejus verbis adparet, nunquam visa, & solum per descriptiones aliorum sibi nota, nomen C. B. bis repetiit. Inde enim factum est, ut *Daucum* nostrum x) *Saxifragam* dixerit, *multifido longoque* folio, quem ex suis legibus debebat *Myrrhidibus* adnumerasse, quæ ejus etiam in *Umbelliferis* y) fuerat sententia. Idem eundem *Daucum* denuo, conjunctis MATTHIOLI & CASPARI

o) *Advers* p. 323. cum icone non bona foliis *Mei* aut *Anethi* & in *observ.* p. 416. Is minime dubitavit huc revocare *Daucum* I. MATTHIOLI.

p) *Hist. plantar.* LXII.

q) III. 2. p. 56 CHABRAEUS *Daucum creticum Sciagr.* p. 389. *Dauci* vero *Tiburtini* p. 54. brevissima est descriptio, ut non videam, quomodo de eo definiri queat. RAJUS certe & MORISONUS nostro faciunt eundem.

r) *Phytopin.* p. 260.

s) *Cat. plant. circa Basil.* p. 45. *Pin.*

t) ibid.

u) *Theatr.* p. 896.

w) *Lanuginoso Creticis simili* L. VII. c. 16. & *non lanuginoso montano* C. 17.

x) Cum synonymo C. B. quod nostrum designat. *Hist. Oxon.* III. p. 273.

y) p. 84.

BAVHINI nominibus, vocat *Myrrhidem tenuifoliam annuam Creticam ſemine lanugine alba pubeſcente* z). Et ex eo tempore inter *Myrrhides* plurimi muneraverunt. *Myrrhidem* nempe *annuam* ſemine *ſtriato villoſo incano* vocant, ex eodem MORISONO aa), HERMANNVS bb), TOVRNEFORTIVS cc) BOERHAAVIVS dd) MILLER ee) BOECLER ff). RAJVS JOHANNEM BAVHINVM ſecutus eſt gg). TOURNEFORTIVS in ſcripto priori hh), & TITA ii), & SCHEVCHZER kk) nomen CASPARI retinuerunt, PLVKNET ll) & SIEGESBECK mm) JOHANNIS appellationem. MVNTINGII *Daucus Creticus latifolius & anguſtifolius* nn) quid ſint, & qua ratione differant, an demum ſint duæ noſtri varietates, id quidem in ea brevitate definiri non poteſt. Non video, qua ratione ductus TOURNEFORTIUS noſtrum alio nomine, ad aliud genus retulerit *Liguſtici* oo), cui ſemina alata ſunt, ita ut in priori nomine, *Myrrhidis*, JOHANNIS BAVHINI nomen, in hoc *Liguſtici multifido longoque folio* CASPARI nomen citet, utut duo *Fratres*, non unius generis duas ſpecies, longe minus duorum generum plantas, ſed eamdem certiſſime deſcripſerint. Oportet

z) Cum eodem omnino CASPARI BAUHINI ſynonymo p. 230.
aa) *Umbellif.* p. 44. 67.
bb) *Hort. Lugd. Batav.* p. 423. *Flor. Batav.* p. 15.
cc) *I. R. H.*
dd) *Ind. alt.* p. 69.
ee) *Garden. dictionar.*
ff) ad *Hermann* p. 293.
gg) *Syllog. ſtirp. exter.* p. 114. *hiſtor.* p. 463.
hh) *Schol. Botan.* p. 162.
ii) *Hort. Maurocen.* p. 62. & in *Itin. Alp.*
kk) *It. alp.* I. p. 34.
ll) *Daucus Creticus ſemine hirſuto Almageſt.* p. 129.
mm) *Flor. Petropol primit.* p. 40.
nn) *Waare oeffening van den planten.* p. 399.

tet utique, aliam a nostra, & diversissimam stirpem ob oculis versatam fuisse TOURNEFORTII. Nihil enim nostra Lirarum habet in semine. BESNIER pp) *Daucum creticum officinarum* vocat. *Daucum Creticum* DALE qq), LEMERI rr), ZORN ss), & ALLEYNE tt). LINNAEUS, determinato verissimo, uti solet, charactere, *Meo* junctam *Athamantam* habet, *foliis capillaribus seminibus hirsutis* uu), quod nomen retinet ROYENIUS ww), sed diversam plantam denotans, & ab altera, simili sed latioris folii planta MORISONIANA *Myrrhide nempe annua semine striato villoso incano* separat. BLACKWALLIA denique iconem *Dauci Cretici* xx) proponit, quae ROYENI & LINNAEI *Athamantam* foliis capillaribus exprimere, & a nostra, alto atque laxissimo foeniculi habitu differre videtur. Et revera, si *Dauci* characterem ingrediuntur folia laciniata sub umbella cava, uti visum est LINNAEO yy), non poterit ibi manere. Ex TOURNEFORTII vero legibus non video, quare debuerit removeri a *Daucis*. *Calycis* ratione habita certe vel *Meo* similis erit, cum quo & habitum communem habet, petalis tamen diversus, quae *Meo* integra sunt, *Dauco Cretico* cordata; vel *Myrrhidibus* & *Chaerophyllis*, quibus simillimum habet *calycem* singularem. Tandem mirari licet, stirpis in officinis receptae, neque rarissimae, unam omnino iconem esse, quae

 apud

oo) I. R. H.
pp) *Tournef. mater. medic. III.* p. 325.
qq) *Pharmacol.* p. m. 197.
rr) *Dictionaire des drog.* p. 190.
ss) *Botanolog* p. 60.
tt) *Dispensator* p. 3.
ww) *Flor. Bat.* 97.
xx) *Herbal. tab.* 471.
uu) *Hort Cliffort.* p. 93.
yy) *Char. nat. plant.* 206.

apud CAMERARIUM eſt, & aliqua non habet, quæ deſiderari poſſent.

§. XLI.

Et jam in ſummum montem eramus enixi, quem late occupant laetisſima certe paſcua, quibus pinguiora non vidi, infinita florum varietate depicta, & planisſima, in lunæ creſcentis ſpeciem flexa circa oram horrendi præcipicii, quod ad imam arenam (*creux du vent*) juxta abruptisſimos ſcopulos deſcendit. In ea ipſa ora *Dryas* LINNAEI plurima provenit, in pratis vero dominabatur *Anemonoides montana hirſuta polyanthos*. Multus ibi, ad rupium ſupercilia, *Ranunculus minimus albus*, plurima *Pulſatilla alba*, quae nihil habebat coerulei coloris, qui petala exterius pingere ſolet in alpibus; & *Gentiana alpina flore magno* procumbentibus floribus, & *pumila verna major*, & *Hieracium montanum latifolium villoſum magno flore*, & *Thlaſpi folio globulariæ* petalis certe integris & æqualibus, quæ, neſcio quam ob rationem, RUPPIO a), viſa ſunt irregularia; *Globularia* ipſa *montana humillima repens*, cui folia hilum exciſum habent. Ejus flores, cum nondum ita viderentur deſcripti, ut fidum characterem ex Auctoribus decerpere auſus ſit veraciſſimus LINNÆUS b), eam ipſam ob rationem propius contemplatus ſum. Sub quovis flore foliolum fuſcum eſt, quorum conjunctione imbricata fit calycis generalis ſpecies. Proprius C*alyx* difformis, quinquefidus, bilabiatus, in duas partes diſcedens: Superiores duæ anguſtiſſimæ, tres inferiores latiores, & minus profunde exciſæ ſunt. *Stamina* libera quatuor. *Tuba* unica cum globulo, ex ovo, quod nunc in imo calyce minimum eſt. Hæc omnia cyanea. Tom-

a) *Flor. Jenenſ.* p. 218.
b) Conſ. *char. nat.*

TOURNEFORTII c) certe icon, quæ superius labium resectum habet, inferius trifidum, KNAUTIUM d), NISSOLIUM e), & LINNÆUM f) seduxit, ut florem existimarent unilabiatum. BOERHAAVIUS g) nihil satis definivit, neque PONTEDERA h), nisi quod post NISSOLIUM staminum numerum addiderit. Videtur ergo nobis non longe removenda a *Scabiosis*, sive *Asterocephalis*, a quibus *semine* in medio flore, absque vagina radiata, differt, reliquis dotibus, flore, staminibus, tuba, calyce, convenit. Neque ad excludendam a *Dipsaceis* Globulariam videtur sufficere, quod folia non conjugata habeat; semenque intra florem. Neque enim *Caraxeron* semen habet coronatum, neque aliæ *Dipsaceæ* VAILLANTII; folia vero classium certe characteres subire non debent.

§. XLII.

Ad lapides non frequentissime reperi aliam *Dauci* speciem, si a semine hirsuto denominetur, quam in *Helvetia* variis locis alias videram, supra *Dornacum*, inter *Mümmeliswyl* & *Falckenstein* ad rupes, ad ipsam etiam arcem *Falckenstein*. In ea planta aliqua sunt, quae merentur animadversionem nostram. Est ei *radix* acris & aromatica, villo coronata. *Folia* insigniter varia magnitudine, vix sui in diversis plantæ aetatibus similia videntur, modo cubitalia, modo triuncialia, & tunc tenuiter serrata, firmaque, adultiora vero & amplis incisionibus, & multo

c) Tab. 265.
d) Char. plant. p. 85.
e) *Memoir. de l' Acad. des scienc.* p. 446, & ex eo DILLEN. *supplem. flor. Giessens.* p. 161.
f) l. c.
g) *Ind. hort. alt.* p. 131.
h) *Dissert.* p. 120.

to tenujora, ſemper tamen eumdem characterem ſervant, quo ſolo planta, quando non floret, facile dignoſcitur, & quem ſolum fere *Carvi*, atque *Pimpinella crispa* imitantur. Nempe cujusvis ſecundarii folii, ad princeps folium coeuntis, prima ala, intervallo diſtat a reliquis ejusdem ſecundarii folii alis, & alia directione, ut ad earum decusſim incedendo quaternæ ibi alæ crucem ad coſtam primarii folii efficiant. Caulis *Julio* M. exeunte florem profert, denſisſimis Umbellis, quibus ſingularis habitus globoſus efficitur, quadraginta omnino minoribus coaleſcentibus in unam majorem. *Calyx* uterque aliquot longis, neque diviſis ligulis conſtat. *Semen* alba hirſutie obductum. *Florem* non examinavi, cum planta junior eſſet, viſam deinceps in ſcopulis, non potui adtingere, ob loci difficultatem. Huc ſolent referre *Apii montani genus* in *M. Legerio* prope *Badam* a), brevisſime certe deſcriptum; deinde *Daucum anguloſi caulis* CORDI b), pariter non ſatis definitum. Longe minus *Seſeli montanum II.* CLUSII c) huc facit, quod noſtro *Dauco* jungit CASPAR BAUHINUS, id enim flores habet pallentes, eſtque aut verum *Oreoſelinum majus*, aut ſimillima certe planta; Sed verius huc refertur *Libanotis alba minor ſeu amara* THALII d), qui diverſitatem inſignem foliorum non neglexit. Deinde *Apium petræum ſive montanum albicans* IOHANNIS BAUHINI e), qui & eam notam, & ſemina

a) *Hort. German.* 247. b.
b) *Hiſtor. plantar.* p. 103. b.
c) *Pannon.* p. 691.
d) *Sylv. hercyn.* p. 41.
e) III. p. 105. ex M. Waſſerfall, *Crenzach.*, & Bada, cum icone non mala. CHABRÆUS p. 397. Cæterum fratrem culpat, quod eum *Daucum* pro *tertio Dioſcoridis* dederit, non ſatis aequus. Eo enim no-

mina hirsuta, & in universum bonam descriptionem dedit, ut meruerit ejus nomen vel eam ob rationem conservari apud RAIUM f), MAGNOLIUM g), & BOERHAAVIUM h). CASPARUS nos multis difficultatibus implicuit. *Daucus montanus apii folio albicans* i) utique in *Herbario vivo* est noster, de quo scribimus *Daucus.* Nomen CLUSII male huc refertur. Deinde *Daucus montanus apii folio minor*, in *Prodromo* depictus, lectusque in *M.* Wasserfall huc pertinet, ex fide horti sicci HAGENBACHIANI, qui CASPARO a manibus fuit, propriæque CASPARI collectionis. Tandem *Libanotis minor apii folio* k), non reperta est inter siccas ejus plantas. Ad eam CORDI & THALII nomina referuntur, non recedentia a nostra stirpe. *Libanotis* veró *Theophrasti minor* LOBELII l) omnino diversa est, itidemque eadem huic & desumta a LOBELIO *Libanotis panacea* TABERNÆMONTANI l*); Fecit ergo sapienter RAIUS quod huic *Libanotidi minori* CASPARI BAUHINI asteriscum apposuerit m), incaute vero MORISONUS, quod post *Daucum* nostrum alibi descriptum repetierit eamdem ex CASPARO *Libanotidem.* PARKINSONUS n) ex CLUSIO *Daucum selinoi-*

nomine in herbario C. BAUHINI planta est Oreoselini majoris similis, sed rotundiori & villoso folio.

f) *Syll. plant extra Brit.* p. 66. *Histor.* p. 460. *synops* III p 218. Ipse legit in *Jura* M.

g) *Hort. Reg. Monsp.* p. 20.

h) *Ind. alt. hort. Lugd. Bat.* p. 59.

i) *Pin.* p. 150. *Basil.* p. 45.

k) In *Pin. Libanotis apii folio* in *Phytopin.* p. 277.

l) Ic. p. 705.

l*) Ex edit. C. B. 315.

m) p. 449.

n) *Theatr. Botan.* p. 898.

linoidem maximum dixit, qui a noſtro diverſisſimus eſt. MORISONUS *Pimpinellam ſaxifragam minorem Daucoidem ſive ſemine lanuginoſo* o), ex quadam cum *Tragoselino criſpo* ſimilitudine habitus. PLUKNETIUS junioris plantae elegantem figuram dedit, nomenque fecit *Daucum montanum Pimpinellæ ſaxifragæ hircinæ noſtræ folio* p) *Dubrienſem*, in quo nomine & ſeminis & habitus rationem habuit. RIVINUS r) lectum in *Gigantum* montibus *Libanotidem* dixit, genus conſtituit peculiare, & iconem dedit ad adultum, & latifolium, ſpecimen, characterem non ſatis definivit. Id nomen manſit apud RUPPIUM s), BUXBAUMIUM t), WALTHERUM u) & HEUCHERUM w). TOURNEFORTIUS hac planta omnino caret. An huc facit *Daucum montanum Boiemicum* SCHWENKFELDI x). Ea planta denuo, ſi character *Dauci* eſt in laciniatis ſub Umbella foliis, debet emigrare ad aliud genus. RIVINUS a *Dauco* breviori lanugine ſeminis videtur diſtinxiſſe.

§. XLIII.

Inter medios flores, & virentia paſcua e longinquo nivem vidi. Quare memor *Croci Alpini*, nunquam a me viſi, licet in *Jura* frequens ſit, & antiquum nomen *Levrette* apud incolas conſervet, accurri; neque ſpem fefellit flos

o) *Hiſt. Oxon.* III. p. 285. In *Umbelliferis* p. 84. ejus meminit.
p) *Almageſt.* p. 129.
r) In *Pentapet. irregul.*
s) *Flor. Jenenſ.* p. 226.
t) *Enumer. plant circa Hal.* p. 185.
u) *Ind. horti ſui.* p. 83.
w) *Prov.* I. p. 69.
x) p. 61. ſemen huc facit, deſcriptio juſto brevior.

flos amabilis, quem toties perreptatis alpibus *Juræque* tractibus, non inveneram; neque enim nisi in spongiosa flavescente terra nascitur, a qua modo ante paucissimos dies nix defluxit, & brevissimi ævi est. Duplex erat varietas. *Priori* ad imum floris tubum violaceus color subnascebatur; segmenta vero petalodea omnino alba erant. *Alteri* tria petalodea folia exteriora violacea, interiora tria alba, cum crebris venis violaceis. Utrique cæterum bulbus, & folia pauca lata, media albicante linea, & *Stamina* tria *apicibus* flavis ex ortu segmentorum floris, & Tuba *apice* trifido plumoso, qui ad expansionem floris terminabatur, brevior quam ut emineret. Alias varietates in hortis vidi, flore ampliori, omnes vero nonnisi coloribus floris discrepant. Quare omnem apparatum omitto nominum, quæ multo cum labore congesseram, ex confusissimis CLVSII atque CASPARI BAVHINI *Crocis*, omnesque quotquot sunt *Helvetiæ* cives, SIMLERI a), ut loquitur CLVSIVS, nam sunt ARETII, & JOHANNIS BAVHINI b), & RAII c) & SCHEVCHZERI d) in alpibus lectos *Crocos* in unum unio *vernum latifolium.* AUctorem habeo, quem ubique maximi facio, LINNÆVM e).

§. XLIV.

Per ea pascua, ad lapides tenui gramine vestitos *Osmundam lunato folio*, & *selaginoides crispum*, *Graminumque*

 spe-

a) *Croci montani speciem flore candido, flore cœruleo, & ex candido atque cœruleo misto* ARETII in *Ness.* p. 235. & SIMLERI in *Valles. & Alp.* p. 333. Quorum priorem, & tertium inprimis legi.

b) II. p. 641.

c) It. IV. p. 333. videtur nostrorum primum esse.

d) *Latifolius vernus flore purpureo minori* in *sylloge stirp. extra Brit.* p. 109. in Jura lectus, est secundus ARETII.

e) *Hort. Cliffort.* p. 18.

ſpecies, *typhoides ſpica denſa brevi & villoſa,* aliudque *glumis variis,* tum aliud *panicula ſpecioſa variegata,* aliaque, nunc non dicenda reperi; & bene onuſtus plantulis pedem retuli, conventurus ſocios in paſcuis *Grandvi*, quæ ſola in *Helvetia* a) *Meum* mihi dederunt; Sed id non obſcurum eſt, neque quidquam habet difficultatis. Neque diu morati, in caſa alpina, mundiori ut ſolent in *Jura* eſſe, reduces adtulerunt ſtirpes in *pertuis de la biſe,* ſive *orientali exitu* lectas, admodum elegantes. Aderat *Bupleuri* ſpecies, olim cognita GESNERO b), & inter CAMERARIANAS c) picta; aderat *Valerianoides anguſtifolia* VAILLANTII, ſed inmaturior. *Tozziam* etiam adferebant, quam olim in *Biennenſium* montibus d) legeram mediis in ſylvis, deinde in M. *Stockhorn* lapidoſo loco. Hanc ita pulchre depinxit MICHELIVS e), ut nihil deſit præter *ſtamina,* omnino quaterna, diverſæ longitudinis, uti ſolent in floribus, quibus quatuor ſemina nuda ſubſunt, vel ovarium uniloculare, vel biloculare, paucis exceptis. *Tuba* cylindrica ſimplex. *Barba* trifida maculata, & lineata, cum ſuperius labium duobus, brevioribus & immaculatis flavis ſegmentis fiat.

§. XLV.

Adtulerunt etiam *Heſperidis* genus ſuaviſſimi odoris. Id diſſimile videri poterat ejus, quod a CLVSIO *ſylveſtre* a) dictum

a) GESNERVS, ſed ex relatione paſtoris, narrat in *Pilati* M. naſci. Ego nullibi in alpibus, aut Jura vidi.

b) *Perfoliata montana ſ. perennis Epiſt.* p. 110. *b.*

c) *Perfoliata montana hort.* p. 38. ic. XXXVIII.

d) Vnde primum adlata eſt ad CASPARVM BAVHINVM inventorem, qui *Euphraſiam luteam radice ſquamata* dixit *Prodrom.* p. 111. neque debuerat præteriri a MICHELIO.

e) *nov. plant. gen.* p. 20. T. XVI.

a) *Pannon* p. 337. *hiſtor.* p. 299.

dictum, in *Valesia* provenit, supra *Leucam*. Nam multa folia penitus obtusa habet, omnia vero valde latiora, ut sint, quæ semunciæ latitudinem habeant & excedant, margine modo obiter, modo profundius serrato, flos vero multo major est angustifolio CLVSII, & sativorum aut æqualis, aut major, pallidus, longo etiam pallidoque calyce. Sed collatis multis speciminibus utriusque, iis etiam, quæ in M. *Chasseral* lecta dono dederat D. *Schuh* V. D. M. plantarum amantissimus, nimis adparuit, continua serie, & angustissima folia dari, illa *Valesiæ*, & quæ prope Acidulas *Mauritianas* legerat D. HVBER, mediocria, aliquando vagis dentibus serrata ex *Chasseral*, lata, profundeque dentata ex *monte Falconario*. Ut nunc fidentius asseram nihil adesse veri discriminis. Cæterum, huc omnino refero, etsi nostrum apprime odoratum sit, *Leucojum sylvestre inodorum flore parvo pallidiore* HORTI AICHSTETTENSIS a) *Leucojum luteum sylvestre Pannonicum serrato folio obtuso & acuto* JOHANNIS BAVHINI b) *Leucojum luteum sylvestre hieracifolium* FRATRIS CASPARI c), etsi nostrum quidem constanter glabrum sit. Huc etiam pertinet *Hesperis sylvestris hieracii foiio hirsuta* GARIDEL d) ex CASPARO BAVHINO. *Hesperis Leucoji folio serrato siliqua quadrangula* TOVRNEFORTII, non absque ratione adeo vicina CLVSIANÆ, deinde TILLII e), BOERHAAVII f), VAILLANTII g). *Keiri sylvestre folio hieracii* RVPPII h). Et hæc omnia nomina cum

 sua

a) *Aest. ord.* II. T. 13. f. 2. bona ic. RAI p. 781. cum asterisco.
b) II. 872. cum icone; Suo jam tempore dubius fuit, annon esset varietas.
c) *Prodr.* p. 101. *Pin.*
d) *plant. aut d' Aix* p. 229.
e) *hort. Pisan.* p. 79.
f) *Ind. alt. hort. L. Bat.* II p. 20.
g) *Botan. Paris.* p. 101.
h) *Flor. Jenens.* p. 61.

ſua planta merito migrant ad *Leucojum ſylveſtre* CLVSII. Plantæ vero ZANONI, & BARRELERII k) a variis huc relatæ, diverſæ ſunt, & ZANONI quidem anguſtifoliam plantam, nihil a CLVSIANA niſi floris magnitudine diverſam, deſcribit. BARRELERII *Leucojum montanum anguſtifolium pallido flore* folia utrunque noſtri habet, ſed floris petala anguſta & inciſa, quæ noſtro integra, lata, & rotunda ſunt. SIEGESBEKII *Heſperis Leucoji folio anguſto dentato flore minore luteo* l) ad noſtram, flore magno, referri non poteſt. De PONÆ altiſſimo orgyali *Leucojo* non liquet. THALIANVM *Leucojum luteum ſylveſtre* m) ita deſcribitur, ut vix poſſim cum BAVHINO definire, noſtrum eſſe, diſtinguere vero ab ipſiſſimo Leucojo CLVSIANO.

§. XLVI.

*A*dtulerunt etiam *Quinquefolii albi* ſpeciem, quam anno 1728. cum ultimo vitæ diſcrimine in M. *Leitern Valeſiæ* legi, in anguſtiſſima ſemita ſuper præcipitium pendente, ſæpe gradibus in rupe exciſis, ſæpe ponticulis ex rudibus Abjetibus interrupta; deinde ad *Agaunum*, aſperrimis etiam in rupibus. Ejus hiſtoria vix ſola tradi poteſt, quæ utique difficilis eſt, & duobus affinibus *Quinquefoliis* ita implicatur, ut neutrum ſine altero queat intelligi.

Maximum nempe Germanicum illud *Quinquefolium album* FUCHSII non valde cauleſcit, folia vero amat educere ex propriis pediculis, hirſutis iis, & longis, quina perpetuo

i) *Iſtor. Botan.* p. 110. ic. 59. ſimilis noſtræ ſtirpi ex *Chaſſeral*: vocat *keiri alpinum foliis dentatis flore parvo odorato.* Ex eo RAJVS p. 783.

k) ic. 884.

l) *Prim. flor. Petr.* p. 53.

m) *Syl. hercynic.* p. 69.

petuo, nullis alis accedentibus digitata, quorum medium maximum eſt, integris oris, ſolis apicibus & parte, quæ apici proxima eſt, rectis & non profundis denticulis ſex ſeptem, neque multo pluribus, inciſo. Pars altera folii viridis, & glabra eſt, averſa tota ſericea lanugine candicat. *Flores* ex petiolis parum folioſis, quinque petalis cordatis conſtant, ſub quibus *calyx* eſt decem in alterno ordine ſegmentis, de more, conſtans. *Stamina* multa. *Semina* nuda oblonga pappum ex vertice undique fundentia, quem & placenta plurimum delapſis floribus retinet, brevem, & argenteum. Talis in *Germaniæ* ſylvis provenit, eamque prope arcem *Tubingenſem* ante plures annos legi.

§. XLVII.

Alia ſpecies *caulifera* pedalis & ultra, ramoſo caule & folioſo. Huic *folia* quina ex brevioribus cauliculis, apice tribus majuſculis dentibus inciſo, hinc glabra, inde ora & nervo ſericea pube albicante, reliqua folii parte, aut non hirſuta, aut leviter, *flore* majuſculo ejuſque petalis integris, longis, diſtantibus, venoſis. *Semina* pari modo pappoſa a). Hæc in *herbario vivo* CASPARI BAVHINI fuit nomine *Quinquefolii erecti albi majoris.*

§. XLVIII.

Tertia a nobis lecta in *M. Leitern*, & *Agauni*, & in *Creux du Vent*, folia habet ad terram primæ ſimilia, apice multis denticulis inciſo. Sed & caules ramoſos & folioſos profert. Flores petalis ovatis lactei, ſimillimi. Deinde folia differunt, non adeo ſericea pube villoſa, ſed hinc quidem gla-

a) Villi in floribus hujus *Pentaphylli* RAJO & JOHANNI BAVHINO viſi ſunt.

glabra, inde hirſuta, ita tamen, ut nihil decedat herbaceo colori, quo utrinque obducuntur. Pyriformia ſemina ſimillimum pappum educunt. Id ergo cum ſecundo (XLVII) petalis foliis & caule conſentit, differt utcunque ſtatura, foliis majoribus, & frequentius inciſis. A primo diſtinguitur folio & caulescente habitu, floriſque petalis. Cæterum in hujus ſpeciminibus *ſtamina* luculentius vidi, latis planiſque barbatis foliolis, non cylindricis ſtylis; *Tubas* vero longas, cylindricas, non plumoſas, ex acuminato ovarii apice.

§. IL.

Multiplex hic occurrit obſervatio. De pappo ſeminum non ſatis dilucide ſcribunt Auctores rei herbariæ, qui tamen *Caryophyllatis* noſtra Quinquefolia proxime unit, & in Eboracenſi etiam uberrimus eſt, in aliis Quinquefoliis rarior, aut omnino nullus. Sed & ſpecies definire in ſcriptoribus Botanicis non eſt facile. Conabimur tamen, & adductis ad ſingulam nominibus, addemus, quid de earum diverſitate de nobis videatur. Ad primam ergo ſpeciem refero *Quinquefolium majus candidum* FVCHSII a), quod folia ex radice in peculiaribus pediculis profert. Idem eſt *Quinquefolium* TRAGI b) & huc etiam referri ſolet *Quinquefolium ſecundum* MATTHIOLI c) *flore albo.* In *Epitome* vero *Italica* d) exſtat utique *Quinquefolium album* longis ex radice pediculis, idem TRAGIANO. Eodem nomine apud CAMERARIVM e) exſtat, & LVGDVNENSES f), qui in eadem pagina denuo

a) *Hiſtor. plant.* p. 623.
b) *Herbar.* p. 507. edit KYPERI.
c) p. 1018. in deſcriptione, nam icon *Pentaphylli albi* p. 1020. eſt luteum, cui folium *ſubtus argenteum* eſt.
d) p. 684.
e) *Epit.* p. 761.
f) *Hiſt. gener.* p. 1265.

denuo habent idem g) *Quinquefolii albi* MATTHIOLI nomine. In ADVERSARIIS *Pentaphyllum album* h) eſt. GESNERUS *Pentaphyllum album Tragi Lupino ſimile* i) dixit, unde profecta videtur denominatio THALII, *Pentaphylli* Θεςμιςφυλλου k), ex quo ſpuria ſpecies & inutilis orta eſt *Quinquefolii Lupini folio* l) CASPARI BAVHINI, AMBROSINI m), & RAJI n). TABERNÆMONTANVS *Quinquefolium ſylveſtre* o) dixit. Huc *Pentaphyllum albo flore* CAMERARII p), & *Quinquefolium ſylvaticum* SCHWENKFELDI q) huc potius referendum videtur. Idem etiam nomen eſt in *horto* AICHSTETTENSI r). CASPAR BAVHINVS *Quinquefolium album majus* ſ) dixit in priori opere, in poſteriori *Quinquefolium album majus alterum* t). JOHANNES BAVHINVS *Pentaphyllum album* u) nominat ex TRAGO & MATTHIOLO. Nomen CASPARI BAVHINI retinuit PARKINSONVS,

g) ib.
h) p. 307. absque icone.
i) *Hort. Germ.* p. 271.
k) *Sylv. hercyn.* p. 88.
l) PIN.
m) *Phytolog.* p. 614.
n) *Hiſt.* 614. cum aſteriſco, ex quo conſtat, non viſam plantam RAJO.
o) *Icon.* p. 620.
p) in *horto* p. 119. Siquidem non diverſum videtur intellecturus fuiſſe nomine pene eodem.
q) *Stirp. Sileſ.* p. 174.
r) Vern. O. 7. T. VI. f. 2.
ſ) Phytopin. p. 650.
t) *Pin.* p. 325. CLVSIANVM eo refert ſynonymon *Pentaphylli albi* I. CLUSII. Sed hoc ad ſpeciem noſtram tertiam refero poſt I. B.
u) II. p. 398. d. CHABR. p. 171.

SONX x), RAJVS y), TOVRNEFORT z), BOERHAAVE aa), & SCHEVCHZER bb). *Quinquefolium seu Pentaphyllum* I. dicit AMBROSINVS cc); *Pentaphyllum minus rectum subtus incanum flore albo* MORISONVS dd), de *nostro* enim dicere videtur, etsi descriptionem adferat CLVSII. Eo nomine usus est HERMANNVS ee). KNAVTIVS corrupit, ut sit *Pentaphyllum sive Heptaphyllum minus rectum flore albo subtus incanum* ff); & alibi HERMANNVS facit *Pentaphyllum sive Quinquefolium album majus alterum* gg); *Pentaphyllum candidum majus* MVNTING hh); *Pentaphyllum foliis argenteis & splendentibus majus & minus* MENZEL ii), ut videtur, *Quinquefolium Lupini folio argenteum flore albo* RVPP kk) in sylvis repertum. *Pentaphyllum album* TITA ll), & BVXBAVM mm), & GEMEINHART nn). *Pentaphyllum sylvestre majus? an minus?* SCHÆFFERI oo), nemo dixerit. *Pen-*

x) *Theatr.* p. 396. sed *Pentaphyllum* vocat & CLVSII I. huc refert.
y) *Histor. plant.* p. 614. *syll. stirp. extra Brit.* p. 212.
z) In *Schol. Botan.* p. 231. & I. R. H.
aa) *Ind. alt.* p. 40.
bb) In *itin. Alp.* VI. p. 460. si quidem de nostro loquitur; nam petala subrotunda & locus videntur facere, ut sit tertium nostrorum II.
cc) *Phytolog.* p. 452.
dd) *Hist. oxon.* II. 189.
ee) *Hort. Lugd. Bat.* p. 480.
ff) *Enum. plant. circa Hal.* p. 112.
gg) In *Flor. Botan.* p. 5.
hh) *Waare œffening* p. 562.
ii) *Pugill. plant. rar.*
kk) *Flor. Jenens.* p. 84.
ll) *Hort. Mauroceni.* p. 137.
mm) *Enum. plant. circa Hal.* p. 254.
nn) *Catal. plant. circa Laub.* p. 77.
oo) *Delic. Botan. Halens.*

Pentaphyllum album majus alterum DVVERNOI pp), si quidem id est *album Quinquefolium*, quod prope arcem *Turingensem* me decerpsisse memini. *Penatphyllum flore albo montanum* WALTHER qq), *Pentaphyllum Lupini folio flore albo* SIEGESBECK rr). *Potentillam* denique *foliis digitatis superne conniventi serratis caulibus filiformibus* dixit LINNAEVS ſſ) noster. TILLI tt) ex MICHELIO adeo multa habet, quae ad nostra *Quinquefolia alba* referri possunt, ut ex iis me expedire non potuerim. Principes hujus notae sunt, flores & folia ex radice, caules aut nulli, aut parum foliosi, petala cordis effigie.

L.

Alterum, & multo obscurius *Quinquefolium*, descriptum XLVII. caulescens, erectum, & foliosum, est sine dubio, cum erectum sit, & minus, CLVSII *Quinquefolium* II. a), quod in magno opere *Quinquefolium* II. *minus albo flore* b) dixit. *Quinquefolii albi species* GESNERI c) tantum nominatur, ut vix definiri possit, quo pertineat. CASPARVS BAVHINVS ex CLVSIO d) dixit *Quinquefolium album minus alterum*; quod

 nomen

pp) *Cat. plant. circa arc. Tubing.* p. 112.
qq) *Ind. horti sui* p. 100.
rr) *Flor. Petrop. prim.* p. 85.
ſſ) *Hort. Cliffort.* p. 194. & ipse cum C. B. RAJO & MORISONO *album* I. CLVSII huc refert: Idemque nomen habet ROYENVS *flor. Leid. prodr.* p. 276.
tt) *Hort. Pisan.* p. 141.
a) In *Pannon* p. 425. icon, in qua flores nimis & lati & cordiformes.
b) p. CV. & ex eo RAJVS p. 614. cum asterisco.
c) *App. ad hort.* p. 295. b.
d) *Pin.* p. 325.

nomen HERMANNVS e), TOVRNEFORTIVS f), SCHEVCHZERVS g) retinent. Sed idem præterea pro novo deſcriptum eſt a CASPARO, *Quinquefolii albi minoris* h) nomine, lectum in ſaxoſis circa *Curiam* Rhætorum, idque *nomen* RAJVS i) & TOURNEFORTIVS k) habent. PARKINSONVS l) ex CLVSIO dixit *Pentaphyllum album minimum.* MORISONVS n) *Pentaphyllum minus erectum hirſutum flore albo*, quem PLVKNETIVS o), & alibi HERMANNVS p) ſunt ſecuti. Porro non dubito huc referre *Pentaphyllum rectum* RAII q) in SALEVA lectum, cum & folia apice inciſa, & floris petala longiuſcula, & eorum diſtantia major, & villi tomentoſi in medio flore huc reſpiciant. *Pentaphyllum vero foliis inferne & ſuperne incanis* JOHANNIS BAVHINI r) ex *Baldo* M., ad quod fere refert CLVSIANVM *alterum*, differt a noſtro in ea nota ipſa, a qua nomen habet.

§. LI.

Tertium (XLVIII), quod a priori, maxime caule non erecto, forte & petalis paulo latioribus, & foliis amplioribus differt,

e) *Flor. Bat.* p. 5.
f) *Schol. Botan.* p. 231. I. R. H.
g) *It alp.* II. p. 139. multis *Rhætiæ* locis.
h) *Phytopin.* p. 650. *Prodr.* p. 139. *Pin.* In *herb. vivo* C. B. nomen adjectum erat *Quinquefolii erecti albi minoris.*
i) *Syll. ſtirp. extra Brit. naſc.* p. 212. & *hiſtor. plant.* p. 614. cum Aſteriſco, conjungit vero ſtirpem CLVSII non certiſſimus.
k) I. R. H.
l) *Theatr.* p. 397. & *Pentaphyllum album minus* ibid.
n) II. p. 189. ex Cluſio. Inter icones adjicitur nomen *primi* ad hujus *numerum.*
o) *Almageſt.* p. 285.
p) *Hort. Lugd. Bat.* p. 480.
q) *Hiſt.* p. 614. *ſyllog. ſtirp. extra Brit. naſc.* p. 212.
r) II. p. 398. e. villi in medio flore obſervati non recedunt. LOBELIANVM *alpinum petroſum*, quod ibidem citat, eſt *Alchimilla ſericea.*

differt, a GESNERO a), lectum in muris urbis *Wallenſtat*, *Pentaphyllum petræum* dictum fuit, & alibi *Pentaphyllum album petræum* b), ut mirari liceat, CASPARVM BAVHINVM in ejusdem omnino oppidi muris lectum pro novo deſcribere; Dixit autem *Quinquefolium album majus* in *Prodromo* c), addidit *caulescens* eſſe in *Pinace*, nam caule folioſo a II. *Pinacis* differt: Et ea ipſa nota, deinde quod CLVSIVS non niſi ignota *Pentaphylla* ſe deſcripturum teſtetur d), perſuadeor, huc pertinere, non ad TRAGI *Quinquefolium*, id, *quod I. majus albo flore* vocat CLVSIVS e), etſi non diſſimulem, noſtrum rupes potius, quam ſylvas amare. Nobiscum ſentit JOHANNES BAVHINVS f), qui *Pentaphyllum album* I. CLVSII ſeorſim propoſuit. CHABRÆVS g) iconem flavæ ſpeciei addidit, cui homini, non immerenti *Auctori* imputaſſet, ſi libuiſſet juſtum eſſe, *hallucinationes* pleraſque operis BAVHINIANI, cenſor MORISONVS. Nomen CASPARI TOVRNEFORTIVS h) repetiit, & TILLIVS i). RAJVS & MORISONVS & plerique alii non habent. De MENZELII k) *petræo flore albo* non liquet.

§. LII.

Et hæc ita videntur ſibi conſtare. Sed, ut dicam, quod verum eſt, non levis mihi eſt ſuſpicio, tria hæc *Quinquefolia*

a) Tab. collect. ſtirp.
b) *Hort. German.* p. 271.
c) p. 139.
d) Dudum vero illud TRAGI in hortos receptum erat conf. LOBELII *adverſ.* p. 307.
e) *Pannon.* p. 423. *hiſtor.* p. CV. cum icone, quæ noſtram omnino exprimit, a *Quinquefolio* TRAGI valde aliena.
f) II. 398. e. Inde PLVKNET *Almag.* p. 285.
g) *Sciagr.* p. 169.
h) I. R. H.
i) *Hort. Piſan.* p. 141.
k) *Pugill. rar.*

folia tuto posse in unum uniri. Examinatis speciminibus, adparuit mihi, continua degeneratione *Erectum* illud (XLVII.) ad radicem non foliosum, & petalis longis, & folio pene glabro, degenerare in nostrum (XLVIII.) in M. *Leitern* & *Creux du Vent* lectum, cui foliosus caulis, latiora petala, folia subhirsuta flava. Inde absque saltu conjunguntur specimin a ejusdem (XLVIII.) lecta *Agauni*, argenteo villo, foliis plurimis ad radicem, eisque peramplis, simile TRAGIANO, uti caule folioso, neque penitus sericeis foliis cum *erecto* & cum speciminibus in *Creux de Vent* consentit. Et si quidem, quod non existimo, petala cordata TRAGIANI sint sufficienti discrimini, certe tamen & *caulescens* BAVHINI (XLVIII.) & ejus *erectum* (XLVII.) nulla vera nota diversa sunt. Flos certe & villosa stamina, & papposum semen, & folia apice incisa omnibus unam perpetuamque notam inpertiunt.

§. LIII.

Reduces, eamdem viam iteravimus. Circa *S. Aubin*, aridis locis, *Buglossum angustifolium majus*, & *Caryophyllus prolifer*, & *Linum* illud *capillaceo folio flore variabili* a) provenit; in agris vero *Astragalus*, qui *Cicer sylvestre* dicitur MATTHIOLO b). Læti discessimus, & ego quidem nave *Moratum* petii. In *Broja* fluvio, qui ex *Moratensi lacu* in *Neocomensem* fluit per media humidissima prata, passim *Solidaginem palustrem Persicæ folio subtus incano*, sex pedum altitudine se efferentem ex arundinibus, & *Tithymalum vere fruticosum palustrem* vidi, & utramque majorem *Nymphæam*

a) Albo, albo cum lineis variis, subpurpureo lineato &c. quod CASPARVS BAVHINVS & *angustifolium flore magno* vocat, & *angustifolium floribus dilute purpurascentibus* vel *carneis*.

b) *cum magn. fig.* p. 418.

am vidi. In earum ea, quæ luteo flore eſt, eleganter vidi expreſſam *ſtaminum* & *Petalorum* adfinitatem, qua fit, ut in floribus plenis mutata *ſtamina* ſe in petala explicent; Vnde & non alii flores frequentius pleni ſunt, quam ii, in quibus abundant *ſtamina*, in *Gymnopolyſpermis*, & adfinibus *Roſis* arboribusque *pomiferis*, & denuo alio modo adfinibus *Aquilegiis* &c. Nempe extima corona, facta 14. petalis, veram habebat in *Nymphæa lutea* naturam floralem. Verum, quæ interiora propius coronabant ovarium, ea anguſtiora, ſolidiora, duabus pulverulentis lineis inſcripta, degenerant paulatim in veriſſima *ſtamina*. MORATO paludoſa prata vicina ſunt, pleniſſima *Scordio*, quo univerſa fere *Helvetia* inde ſibi proſpicit, & *Gratiola*. Ad ipſum litus lacus, denuo *Ranunculus longifolius* BVRSERI c). Inde ſterilis via, & plantis rarioribus omnino deſtituta *Bernam* me reduxit.

§. LIV.

Poſt aliquot dierum moram in Montem *Neunenen*, comite viro veriſſimi judicii ALBERTO HERPORT, iter repetii, quod ante octo annos non infœcundum fuerat. Ex ſumma alpium catena paſſim promontoria, & ſecundaria juga producuntur: Id quod conſcendi, pars eſt catenæ, quæ haud longe *Aquilegia* orta ab altiſſimis alpibus, verſus ſolis ortum ſecedit, & longa ſerie *Sanenſem Simmiamque* vallem a *Friburgenſium* ditione ſeparat. Ad eum montem iter fit per vallem paſcuis lætam, quæ ab amœniſſimo pago *Belp* continua ducit ad arcem *Burgenſtein*. Sed prius, relicta valle, verſus occidentem ſeceditur in pagum *Rieggisberg*. Inde adſcenditur per prata ſubuda, plena olim *Sedo paluſtri purpureo*, nunc exuſta ſole, ſub ipſis initiis dierum canicularium.

Deinde

c) conf. XVIII.

Deinde per vallem *die rute* algidis aquis irriguam, modicis, ſylvoſiſque montibus ſeptam undique. Sed & ea valle relicta ad meridiem nos convertimus, & adſcenſu non leniſſimo ad ſylvam venimus, atram, abiegnam, alpini ingenii, uvido ſolo, & pene paluſtri. Paſſim procella ſtrages ediderat immenſas arborum, in earum everſis truncis, loco in perpetuum ſole carente, ſperavimus muſcorum copiam & invenimus.

§. LV.

Vberrimum ibi fuit novum genus *Bryi, capillaceum craſſis capitulis per caulem exeuntibus.* Naſcitur in ceſpites laete virentes, habitu pene ejus, cui capitula globoſa ſunt. *Caules* fuſci, aliquando vero viridiſſimi, unciales & ultra, erecti, recurvo vertice. *Folia* pallida & virentia, ad unum plerumque latus vergunt, mollia, capillaria, incurvata & falcata. Per caulem ſubinde prodeunt *ſetæ* ruberrimæ, breves, vix trium linearum. In iis craſſa ovata *capitula* ſubrubella, aut flava, operculo conico, quo delapſo ciliari rubro villo coronantur. *Calyptras* non vidi. Habui etiam a STÆHELINO noſtro, ex altioribus ſylvis *Juræ.* Maximo Botanico DILLENIO novum viſum eſt. Conjecturam propono, num fuerit *Muſcus Alpinus medius foliis tenuiſſimis & acutiſſime denticulatis, capitulis ſubrotundis unam partem ſpectantibus* MICHELI a).

§. LVI.

In everſarum arborum truncis plurimum naſcebatur, miſtum *muſco plumoſo eleganti* VAILLANTII a), *Bryum,* quod ſoleo

a) *Nov. gen.* p. III. n. 41.

a) Cujus folia avulſa a caule, conicæ & dilatatæ ſetæ ſpecie mihi aliquamdiu inpoſuerunt, donec lentis accederet verax induſtria. *Botan. Pariſ.* p. 132. T. XXVII. f. 7.

ſoleo vocare *alternans calyptra variegata, & ſcyphulis folioſis.* Dudum notum eſt, ſed character imperfectius cognitus. Nempe *Bryo* noſtro *caules* ſunt inclinati, per ſex fere lineas tantum folioſi, *foliolis* diſtinctis, læte viridibus, ex lata baſi acuminatis, ſerpylli, nervo medio. In ſummo cauliculo alias pallida *ſeta,* uncialis, erectum *capitulum* gerens. Id longum eſt, cylindricum, leniter ſpadiceum. *Calyptra* infra albiſſima, fulva ſuperius, qua vel ſola dignoſcitur. Sed aliæ plantulæ, ex eadem tamen radice naſcentes, nulla capitula gerunt, & alieniſſima ſunt facie. Earum cauliculus nudus aliquamdiu terminatur velut *ſcyphulo,* facto ex foliolis virentibus, aut rubentibus, quando ſeniora ſunt, conjunctis, ſuperius cavum intercipientibus. In eo ſcyphulo viridiſſimorum foliorum roſa eſt, ſi exquiſitiori microſcopio utaris. Nam toti hi ſcyphuli nudo oculo pulverulenta capitula imitantur, & non aliter innotuerunt plerisque Botanicis. Primum DOODY nomine *Muſci trichoidis parvo capitulo conglomerato ſive Botryoidis* dedit RAJO b), novamque ſimul claſſem inde conſtituit, quod *capitula pulverulenta* absque ulla calyptra haberet. Eadem planta PLVKNETIO eſt *Muſcus trichoides, capitulo racemoſo noſtras* c). TOVRNEFORTIO d) *Muſcus capillaceus minimus capitulo minimo pulverulento* dicitur: deinde RVPPIO e), & VAILLANTIO f), cujus non mala eſt icon, melior tamen BVXBAVMII g), qui *Muſcum foliis anguſtis & brevibus capitulis minimis rotundis in brevibus pediculis*

b) *Hiſt. plant.* III. p. 39. n. 6.
c) *Almageſt.* p. 2 7.
d) I. R. H.
e) *Flor. Jenenſ.* p. 285.
f) *Botan. Pariſ.* p. 1 8. T. XXIX. f. b. *Muſcoides* vocavit, & ipſe, quod ſolo pulvere conſtaret capitulum, absque membrana.
g) *Act. Petropol.* III. p. 273. T. XIV. f. 2.

diculis h). DILLENIUS, cum *Muscorum* genera constitueret, *Mniis*, quibus pollen absque calyptra & capsula nasceretur, principem hunc muscum fecit, dixitque *Mnion perangustis & brevibus foliis* i). Sed idem, ut est veritatis amantissimus, in literis satis ostendit, se hanc sententiam mutasse, & nostrum restituere *Bryis*. Quem vero ex RAJO k) nominat MICHELI l), pingitque, adeo a nostro recedit foliis capillaceis, ut non videatur idem esse, figura etiam ad lentem facta a nostra diversa est. Similis certe huic est figura MORISONI, quando *Muscum Coronatum minimum foliolis pediculis & capitulis minimis erectis* m) depingit, cujus descriptio, repetita a RAJO n) capitulum tradens puncto non majus, omnes vero musci partes minimas, ita differt a nostro, ut diversum existimarem, nisi conjungere juberet DILLENII o) auctoritas. Noster enim & major dimidia *Bryorum* parte, & lato folio est, & scyphuli multorum Bryorum capitulis majores. Quidquid sit, capitulum certe illud pulverulentum, certissime est rosa foliorum juniorum, & planta, in qua enascitur, verissimum *Bryum*.

§. LVII.

Eadem ratione scobs illa in scyphis simillimis MARCHANTIÆ visa, & ambitiose delineata a MICHELIO a), merum est foliorum

h) *Enum. plant. circa Hal. nasc.* p. 228.

i) *Cat. plant. circa Giess.* p. 214. & *nov. gen.* p. 84. cum icone, valde angustifolia T. I & denuo in *synopsi* RAJANA p. 78. Primus, ni fallor, vidit capitula.

k) Nomen ad not. b.

l) *Nov. gen.* p. 108. T. 59. fig. 8.

m) *Hist. oxon.* III. p. 631. *sect.* XV. T. 7. f. 20.

n) *Muscus capillaris omnium minimis foliis pediculis capitulis Hist. plant.* III. p. 35. n. 10.

o) In synopsi RAJANA.

a) T. I. ad G. H. I. M. pro seminibus.

liorum juniorum germen, ut in hac ipſa ſylva obſervavi in *Marchantia capitulis integris*; neque forte diverſa ſcobs fuſca in roſeis illis gemmis *Polytrichi* vulgaris maximi, nam ex mediis ſcyphis novas plantas provenire certum eſt. Sed ad ſylvam noſtram redeo. In ea, & circa *Drakau* prope *Bernam*, non rarum eſt ad terram novum *Sphagni* genus, quod *acaulon maximum* voco, *foliis in centro ciliaribus*. Huic ex *radiculis* albis, & teneris, primo *folia* prodeunt in orbem reclinata, lætiſſime virentia, lineis terminata parallelis, fine etiam obtuſo. In eorum foliorum medio alia prodeunt *folia*, longa, pallida, glumarum ſimilia, fuſco nervo in longum pilum educto. Amplectuntur hæc *capitulum* inter *Sphagna* maximum, raræ molis in toto *Muſcorum* genere. Junius operculum habet, acuminatum, pellucidum. Id dejicit adultius, & in ſaccum fit e luteo rubentem, pyriformem, ore paulum contracto, & plerumque ad alterutrum latus propiori, plenum polline viridi. Longum vidi ad tres lineas, latum ad duas, DILLENIVS novum *Muſcum* eſſe confirmavit.

§. LVIII.

In corticibus arborum naſcitur elegans illud *Sphagnum*, quod *Muſcum terreſtrem majorem ramulis compreſſis ſuperficie criſpis* vocat VAILLANTIVS, cum elegante icone a), quod & nomine b) & foliorum transverſis undis ſimile eſt *Muſco Linariæ folio majori & criſpo* c) TOVRNEFORTII. Sed is *Hypni* ſpecies eſt, & circa *Zweylutſchinen* copioſiſſime provenit. Emerſimus tandem ex ſylva, & per breve paſcuum ad

a) T. XXVII. f. 4.

b) Nam iisdem omnino vocibus MORISONVS & RAJVS in *hiſt. plant.* III. p. 44. ad fine *Hypnum* intellexerunt, teſte DILLENIO in *ſynopſ. p.* 89.

c) *Hiſt. des plant. aut de Par.* p. 504. & I. R. H.

ad *medicatas Aquas*, quæ a M. *Gurnigel* nomen habent, pervenimus. Ibi dum corpora procuramus, aquas infectas odore ovorum putridorum bibimus, limpidas, ſummo in æſtu innoxias, quarum multus ad vicia ventriculi, & fluores albos, & menſium defectum uſus eſt apud noſtrates. Olim examinata aqua multum dedit innatantis petrolei, quod cuticulam efficit in ſuperficie, non ſemel renaſcituram, ſi demſeris. Viridi colore tingit violarum ſyrupum, & adjecto liquore Tartari magnam vim terræ teneræ albæ deponit, quæ luculenta ſunt indicia terræ calcariæ.

§. LIX.

A meridie prima ambulatio noſtra fuit in Montem *Ober Gurnigel*, leuca fere altiorem balneo, quod & ipſum ſublimi ſitu poſitum eſt, ut & proſpectu lætiſſimo fruantur incolæ, & ſole diutiſſime fulgente, dies haud paulo longiores ſint, quam in vicina. Via ducit per ſylvam, ſimilem priori (LV), in qua magna provenit vis elegantis plantulæ, quam ob ſemen *Aparinen* dixeris, a) niſi ob folia quaterna lata malis *Cruciatam* vocare. Deſcriptio JOHANNIS BAVHINI b), & icon ejus, de inde icon BOCCONE c) ſufficiunt, neque enim video verum aliquod eſſe utriusque diſcrimen: Noſtræ certe folia ſubhirſuta ſunt, BOCCONIANÆ plantæ ſimilia. BAVHINORVM d) ſtirps vero a noſtra non diverſa eſt. Id enim &

a) Ob flores in paniculis ex alis ſummorum foliorum, & ſemina hiſpida.

b) *Rubia quadrifolia ſemine bino hiſpido* III. p. 712. CHABR. p. 547.

c) *Rubia ſemine duplici hiſpido, latis & hirſutis foliis plant. rar. Sicil.* &c. p. 10. T. VI. f. 1.

d) *Rubia quadrifolia vel rotunda levis Prodr.* p. 145. *Pin.* & ex eo I. B. III. p. 711. Nam peculiari, ſuoque nomine deſcribit lectam circa *Thermas Valeſias* CASPARVS. Eam *Rubiam quadrifoliam rotundam*

& locus natalis, & ipsa planta in *herbario vivo* CASPARI visa persuadet. Vox *glabra* fraudi fuit BARRELERIO e) & BOCCONE, ut novam facerent, RAJO f) MORISONO g) ut eam, BAVHINIANA distinguerent. TOVRNEFORTIVS h) BOCCONIANAM solam habet.

§. LX.

Supra eam sylvam lapidosa pascua sunt. Nihil ibi frequentius *Dente Leonis floribus croceis*. Ei in universum habitus est vulgaris *Taraxaci*. *Folia* tamen & minus profunde dentata, minusque hamata sunt, extremo segmento sub rotundo, & lenissime acuminato. *Caulis* firmior, quam *Taraxaci*, pedalis, quando altissimus est, uniflorus. *Flos* quam *Taraxaci* minor, sature aurantius & pene rubens. COLVMNA a) stirpem habet nostræ similem floris colore, folia non respondent. Ex ea *Dens Leonis minor laciniatus flore croceo* MORISONI b); *Dens Leonis alpinus minimus glaber* TOVRNEFORTII c); & *Dens Leonis spatulæ folio dentato* forte

dam levem dixerunt PARKINSON p. 276. RAI *syll. stirp. extra Brit.* p. 225. *Histor.* p. 278. cum asterisco. PLVKN. p. 323. & MORISON III. p. 329. qui eamdem stirpem ter in eadem pagina repetit,

e) *Cruciata major villosa flore mollugginis alba* BARR ic. 324. qui I. B. plantam dixit *Cruciatam minorem glabram flore mollugginis albam* ic. 323.

f) Vtitur nomine BOCCONE, hist. p. 478.

g) Plantam I. B. vocat *Rubiam quadrifoliam semine duplici hispido Hist. oxon.* III. p. 329. quod nomen est HERMANNI *hort. Lugd. Bat.* p. 319. Plantam vero BOCCONIS eo nomine, quo usus est Auctor ib. p. 328. Idem PLVKNETVS habet p. 321.

h) *Cruciata floribus paniculatim nascentibus*, I. R. H.

a) *Hieracium alterum minus* IV. *Ecph. rar. stirp.* II. p. 129.

b) *Hist. oxon.* III. p. 74.

c) I. R. H.

VAILLANTII d), si quidem eamdem intelligit. RAJUS COLUMNÆ nomen retinet e). Sed certiora nostri synonyma sunt *Dens Leonis foliis extremo subrotundis floribus aureis* SHERARDI f), quod nomen pene definitio est plantæ nostræ. *Hieracium minus saxatile dentis Leonis folio unico caule flore flammeo* TITÆ g). *Hieracium dentis Leonis folio obtuso minus* SCHEUCHZERI h), & *Hieracium dentis leonis folio obtuso minus flore ferrugineo* ejusdem i). Mihi SHERARDI nomen aptissimum videtur. Abunde vero per alpium humiliora pascua provenit.

§. LXI.

Leucanthemum pro *alpino folio rigido* habitum multum ibi provenit, varietas omnino vulgaris, folio crassiusculo, firmo, acuto, flore majori pro portione plantæ, sed nihil veri habens discriminis, uti neque in *Dolaz* & *Thuiri* habet, ubi lectum RAJUS a) pro singulari describit. *Bellis* vero *alpina major rigido folio* CASPARI BAUHINI b), & a nostra, & a vulgari diversa videtur, ei enim folia ad terram eximiæ longitudinis, omnia vero acuta & profunde serrata sunt.

§. LXII.

Frequens & in *Jura* & in subalpinis est *Campanula alpina linifolia cœrulea*. Ea & hic nata fuit, foliis imis revera

d) *Comment. Acad scient. Paris.* 1721. p. 231. sed is de planta COLUMNÆ dubitat; *Spatbulæ* vero folium nostræ foliis dissimillimum est.

e) *Histor. plant.* p. 246. cum asterisco.

f) In *syllog. stirp. extra Brit.* p. 399.

g) *In itin. post hort. Mauroc.*

h) *It.* I. p. 40. Planta nostra est, nomen alienissimum.

i) *It.* IV. p. 336.

a) *Syllog. stirp. extra Brit. nasc.* p. 76. nam & ibi legi anno 1736.

b) In *Prodr.* p. 120. & *Pinace.*

vera rotundioribus, reliquis Lini, primis ſerratis leviter, pleriſque non dentatis. Ea habitu differt a *rotundifolia alpina*, & duritie, foliiſque nullis, ut in hac ſolent, latis ſerratis, ſed ſubito gracilibus omnibus, præter ea, quæ rotunda ſunt ex radice. A vulgari *rotundifolia* magnitudine floris facile differt, qua ita eam ſuperat, ut propior ſit *Campanulæ perſicæ folio* cujus tamen folia nulla rotunda ſunt.

Inventor CASPAR BAVHINVS a) nomen dedit & deſcriptionem, quem HOFMANNVS b), MAGNOL c) TOVRNEFORT d) & RAJVS e) ſecuti ſunt. JOHANNES *linifoliam cœruleam* f) dixit, idque nomen PARKINSONVS g), VOLCAMER h) & magno in opere RAJVS i) habent. LINNÆVS k) poſt MAGNOLIVM l) conjungit *alpinæ rotundifoliæ*: JOH. BAVHINVS m) & TOVRNEFORTIVS n) vulgaris varietatem fecerant. Sed poteſt diſtincta manere, media quaſi inter *vulgarem rotundifoliam* & *perſicifoliam*. Ejus varietas o) eſt omnino, ad pedem *Gotthardi* a me reperta, *Campanula alpina linifolia cœrulea, flore unico*

a) *Phytopin.* p. 139. *Prodr.* p. 34. *Pin.*
b) Delic. ſylv. flor. Altorf.
c) *Bot. Monſpel.* p. 47. ubi & icon addita eſt, poſtea vero ſententiam mutavit.
d) I. R. H.
e) *Syll. plant. extra Brit.* p. 83.
f) II. p. 796.
g) *Theatr.* p. 650.
h) *Flor. Noric.* p. 79.
i) p. 740. cum aſteriſco.
k) *Flor. Laponic.* 74. neque certus tamen.
l) l. c. p. 291. poſtquam folia ima rotunda viderat.
m) Jungit enim *linifoliam* THALII; ſed ea vulgaris eſt.
n) Hiſt. des pl. autour de Par. p. 184.
o) Folio latiori & hirſuto, flore pro humilitate plantæ magno. Sed & noſtræ ima folia ſubhirſuta ſunt.

co grandi in summo cauliculo SCHEVCHZERI p), cui omnino similis est *Campanula montana minor angustifolia* BARRELERII q), neque recedit *Campanula caule unifloro* LINNÆI r). *Campanula foliis Anchusæ floribus oblongis* ibidem in saxosis aliquoties obvia fuit, a qua, ut obiter moneam, neque *Campanula alpina aspera foliis Echii flore magno villoso* PLVKNETII s), neque *Campanula minor hirsuta Drabæ foliis* t) diversa est.

§. LXIII.

Altera die, quæ fuit 17. JVLII post hanc quasi velitationem, in M. *Ober Neunenen* tribus aut ultra horis ab Aquis medicatis distantem, prima Aurora iter suscepimus. Primum stadium per sylvam est abiegnam, in qua magna vis *Equiseti sylvatici tenuissimis setis*, cujus spicam floralem, in folioso caule enascentem, brevem & subspadiceam tunc legi. STÆHELINI nostri hic recenseo experimentum, mutilatum certe in *Commentariis Parisinis* a), elegans, & quod vix fallit. *Equiseti* cujusvis, sed in primis *arvensis*, cui flos a foliis sejunctus nascitur, primo vere vigentis, spica excutiatur supra Chartam, elabetur ex octenis capsulis, quæ sub scutis nutantibus adsunt, pollen viridis, adeo ponderosus, ut in aqua fundum petat. Is quando paulo siccior, neque siccissimus tamen, super vitrum effunditur, & admovetur microscopium, tripudium cernitur elegans, & aurium etiam indicio percipitur. Corpuscula nempe spermatica innato elatere se mo-

p) *It. alp.* IV. p. 454. f. 14. & *parva rotundifolia flore cæruleo pentagono grandi It. alp.* II. p. 131.

q) ic. 487.

r) *Flor. Lapon.* 85. T. 9. f. 5. 6.

s) *Almagest.* p. 136. T. 153. f. 6.

t) ibid f. 4.

a) 1730. *hist.* p. 88.

movent, & contorquent. Ea ſunt ſphærulæ fere, inſtructæ cruribus duobus, ad quinque usque, quæ extrema parte bifida denuo conjunguntur in laquei ſpeciem. Ea cruſcula elatere ſummo reſiliunt, & per plura horæ minuta ſubſiliunt in aliquam diſtantiam. Ita vulgatiſſima planta omnes *Polypodii ſenſibilis*, & *Oxyoidis* GARCINI, & *Mimoſæ* motus longiſſime ſuperat agilitate & conſtantia. Sæpe *in Helvetia*, ſæpe in *Germania*, elegans experimentum iteravi, quod primum apud STÆHELINUM b) videram.

§. LXIV.

Supra eam ſylvam acclive paſcuum eſt, in quo fons medicatus, lignea caſa tectus, ſcaturit: Ibi aqua valentior bibitur, & odore graviori. Deinde alia ſylva ſequitur, & ipſa uligine impedita, atque hanc longiſſima adſcendenti paſcua, neque quidquam habentia, quod invitet Botanicum. Supra ea ſequitur ſylva ſuprema, ad quam ex altioribus mapalibus lignatum veniunt. Ibi præter vulgatiſſimam *ſemper virentem Vitem Idæam fructu rubro*, in cavis arboribus reperi *Chamænerium alpinum alſines folio*. Et jam ex ſylva in paſcua *Unter Neunenen* veneramus, ubi *triſte Cœlum* a) expertus fueram ante octo annos, caſa debili, & perflata ventis defenſus ab horribili tempeſtate, quæ omnium intra hominum memoriam atrociſſima & maxime diuturna fuit. Supra ea mapalia ſecuti dorſum eminens inter duas convalles, paulatim vidimus ſtirpes rariores augeri, uti decedebat altitudini. Plurima ad viam *Myoſotis alpina latifolia*, quæ variabili ingenio modo glabra, modo villoſa eſt, folio auri-

culæ

b) Dum hæc ſcribo, reperio deſcriptum, in ejuſdem STÆHELINI *Theſ. Anat. Bot*. 1731. p. 4

a) Id nomen fecit SCHEUCHZERUS libro ſingulari, in quo ejus noctis calamitates deſcripſit.

culæ ſimili brevique, aut longiori, ſemper ſimillima *arvenſi ſubhirſutæ magno flore*, niſi quod folio latiori, & breviori ſit. Ibi & *Pedicularis* illa *foliis conjugatis* b), cujus alibi deſcriptionem dedi, & ea, quæ *Teucrii* eſt *folio coma atrorubente*, nobis STÆHELINIA dicta b*). In uliginoſis vero pratis, jam legeram vulgarem *paluſtrem elatiorem*, alias *albo flore*, alias adeo exiguam, ut a cubito ad duas uncias reduceretur ejus ſtatura, ſemper ſui ſimilem magno flore, cujus craſſus tubus eſt, & folio. *Monorchis* dudum apparuerat, hoc ipſo vero loco frequens illa *Pſeudorchis* c), de qua alio loco dixi. *Veronica ſaxatilis ſerpyllifolia* d) non crebra, frequentior noſtra, cui *calyces hirſuti, floresque congeſti* e) ſunt; frequens etiam RAJANA *ſaxatilis cauliculis nudis* f). Dudum etiam naſcebatur *Phalangium alpinum paluſtre Iridis folio*, cujus *ſtamina* levem pediculum habent, ſiliquæ diſtinctæ ſunt, uti recte MOEHRING g) atque LINNÆVS h). Plurimus ibi *Dens Leonis croceo flore* i), & *Tragoſelinum umbella rubente*, elegans varietas vulgaris ſpeciei. Plurima ad vias *Acini pulchra ſpecies*, quam *Aquilegienſes* alpicolæ ad pectoris morbos commendant, grati aromatis plantula. Vbique ceſpites faciebat *Quinquefolium alpinum minus repens aureum*, magno flore, ſericeisque villis ad oras nervosque. *Caryophyllata alpina minor* onuſta hirſuto capite; *Auricula urſi lutea*, jam matura, *Gentiana alpina pumila verna major*, & *Gentiana*

quam

b) Diff. *de Pedicular.* v.
b*) l. c. III.
c) *It. hercyn.* XLII.
d) Progr. *de Veronic. alp.* II.
e) ibid. IV.
f) ibid VI.
g) Hort. priv. p. III.
h) *Flor. Lapon.* 137. ſed is de alia ſpecie loquitur.
i) IX.

quam voco *elegantiſſimam* Bavaricam CAMERARII. Ea diſtat a priori foliis neque acutis, neque in roſulam ad terram congeſtis, ſed rotundioribus, & multis conjugationibus ad caulem diſpoſitis, demum ſegmentis floris non acutis. Cæterum & aures albas inter ſegmenta floris habet, & ipſum floris centrum album eſt. Vulgaris certe in alpibus plantæ, neque ſatis notæ tamen, CAMERARIVS k) bonam iconem dedit. CASPAR BAVHINVS non bene conjunxit *pumilæ vernæ majori*. Nihil ad ejus hiſtoriam PARKINSONVS l) addidit, nihil MORISONVS m), nihil RAJVS n), qui in natali ſolo prope *Auguſtam vindelicorum* plantulam CAMERARIANAM legerat, neque MERRET o), neque PLVKNETVS p). TOVRNEFORT & SCHEVCHZERVS non habent. BARRELERIVS, qui *Gentianarum* iconibus multiplicandis ſibi videtur placuiſſe, & CAMERARII iconem habet q), & denuo videtur depinxiſſe cum nomine *Gentianæ alpinæ vernæ minoris folio ſubrotundo flore cœruleo* r).

§. LXV.

Alſines alpinæ ſerpyllifoliæ magna vis ubique eſt, quæ a *multicauli* vulgari flore multo majori diſtinguitur, & *Helianthemi ſerpyllifolii flore aureo odorato*, de quo vereor, ut ſatis diſtinctum ſit, a vulgatiſſima ſpecie. *Viola rotundifo-*

k) *Hort. med.* Ic. XV. n. I. & p. 65.

l) *Gentianella minima elegantiſſima Bavarica Camerarii major. Theatr.* p. 407.

m) *Hiſt. oxon.* III. p. 482. eod. nom.

n) In *hiſtor.* p. 720. eodem nomine. In *ſyllog.* ſtirp. *extra Brit. naſc.* vocat. *Gentianellam minimam flore unico cœruleo elegantiſſimo. p.* 132.

o) Si noſtram intelligit, dum *Gentianellam minimam Bavaricam* recenſet, quam vix exiſtimaverim Angliæ indigenam eſſe. DILLENIANA certe *ſynopſis* non habet.

p) Eod. nom. *Almageſt.* p. 167.

q) ic. 101.

r) ic. 98.

lia lutea paſſim ad ſaxorum umbroſas intercapedines. *Viola* vero *montana lutea grandiflora,* in tenui gramine. *Plantago anguſtifolia alpina, Oſmunda lunato folio, Rapunculus folio oblongo ſpica orbiculari, Chamærhododendros alpina glabra,* gallarum vicio ludens a), *Biſtorta minima, Selaginoides foliis criſpis; Lichen* ille *pulmonarius ſaxatilis tenuiter laciniatus elegantis ſulfurei coloris* SCHEVCHZERI b) varius colore, & diviſione, *Bryum alpinum crinium criſporum facie* c), *Lichen alpinus corniculatus niveus,* d) varietas *pyxidati,* & alia varietas *oris fungoſis ruberrimis,* tum *Lichen cruſtaceus ſaxatilis farinaceus globulis minutiſſimis undique refertus* MICHELI, & alius *fungoſis carneis capitulis; Gramen typhoides ſpica brevi denſa & veluti villoſa. Gramen ſparteum juncifolium, Gramen Anthoxantho adfine laxiori ſpica* e), *Gramen paniculatum* elegans *locuſtis proliferis* f), Juncoidis & *Cyperoidis* ſpecies aliquot, *Hieracium latifolium villoſum magno flore,* nondum maturum, Ea omnia in *M. unter-Neunenen,* frequentia ſunt, alioquin in alpibus non rara, neque adeo obſcura, ut mereantur illuſtrari. Sed quam primum inter inacceſſos ſolidiſſimarum rupium vertices *Ganteriſch* & *Neunenen* vallem ſubivimus frigidam, umbroſam, anguſtamque, quæ *ober Neunenen* vocatur, jam gratiores laboris noſtri fructus uberrime decerpere licuit.

§. LXVI.

Ad viam *Cardui genus* humile, ramoſum, multiflorum, foliis ciliaribus ſpinulis undique ad oras aſperis, immaturum. Id

a) SCEHVCHZ. It. II. T. XIX. f. 1. 2. 3.
b) *It.* VI. p. 514.
c) Ejusdem T. modo cit. f. 5.
d) Ejuſd. p. 137. n. 58.
e) *montanum odoratum ſpicatum* J. SCHEVCH.
f) Gr. montanum ſpica foliacea graminea It. I. T. IV. f. 2.

Id ad *Carduum mollem* retulimus dictum alibi, (XXIX.) licet folio molliori, caule multifloro, capite etiam in juniori planta ampliori diversitatem quamdam affectaverit. Sed alia *Acanacea* planta ibi plurima est ad semitam, quæ ad casam alpinam ducit, *Cirsium* nempe *alpinum spinosissimum floribus ochroleucis inter flavescentia folia congestis.* Idem & alibi per alpes in convallibus, & ad rivos provenit. Ei dura radix, depacta. *Caulis* humilis, ad cubitalem usque. *Folia* inferiora copiosissima, Carlinæ facie, crispa, laciniata, omni lacinia in spinam acutam exeunte, suprema vero folia latiora, albida, *Cnici* instar nidum efficiunt *Floribus*, sessilibus, in summe caule congestis. Iis, quod abunde prospectum sit vallo foliorum, nihil inest spinosi; *calyx* simplicibus, longis, acutis foliis fit, quæ in mitem spinulam terminantur. *Flosculus* profunde quinquefidus; & Tuba & Tubus *staminum* ochroleuca. Pappus in placenta simplex, in seminum capite plumosus. Antiquissimus Botanicus ARETIVS a) descripsit, & nomen fecit *Groß Eberwurtz. Silybum* vocat SIMLERVS b) dum ARETIVM exscribit. *Carlina polycephalos alba foliis superioribus candidis* CASPARO BAVHINO c) est absque synonymo; & ex eo *Carlina polycephalos alba* dicta est RAJO d), TOVRNEFORTIO e), MAGNOLIO f), TILLIO g), SCHEVCHZERO h), cui nota fuit. Sed & TITA eam in alpibus legit, fecitque nomen *Cardui alpini spinosissimi polyce-*

M 3 *phali*

a) Ante *hort. Germ.* GESNERI p. 234. b.
b) *Valles. & alp. descr.* p. 327.
c) In *Pinace* p. 380.
d) p. 309. cum asterisco.
e) *Schol. Botan.* p. 218. I. R. H.
f) *Hort. reg. Monsp.* 44.
g) *Hort. Pisan.* p. 33.
h) *It. alp.* II. p. 131.

phali foliis in summitate albicantibus & albo flore i), quod nomen ita reformavit PONTEDERA, ut *Cnicum alpinum humile spinosum flore pallente* vocaret k). Et non videtur dubium, idem esse *Cirsium acanthoides coma florum flavescente montis Carthusiani* PLVMIER *in posthumis* apud VAILLANTIVM l). Ego nomen feci ex suis notis.

§. LXVII.

Ibi exoptatissimum pabulum *Phellandryum alpinum umbella purpurascente*, cum *Dauco Cretico* mistum ubique nascitur, humile, & pene sessili umbella. Ei *calyx generalis* nullus, *particularis* vero ex aliquot longis foliolis, semina sulcata, brevia *Petala* purpurascentia, inæqualiter cordiformia, inæqualia, quorum extimum insigniter majus est reliquis, apices purpurei globosi, cum duabus de more *Tubis*. In hac ergo planta felix fuit TOVRNEFORTIVS, quæ *Phellandryo* undique, flore non solum & *semine*, sed *calyce* etiam convenit.

§. LXVIII.

Ex ipsa hac valle fluvius, *die Gürbe*, tenuibus principiis oritur, deinde per vallem, quæ inter *Belp & Dossan* media est, descendit, & ligna in altissimis sylvis cæsa, non sine magno labore eorum, qui operi præsunt, in *Arolam* defert, civium destinata commodis. In exigua palude, quæ prima stamina generat hujus fluvii, provenit *Scorpiuri* species alpina. *Scorpiurum* voco post MORISONVM a) id genus plantarum

i) *It. alp.* post *hort. Maurocen.*
k) In *epist. ad* SHERARD p. VI.
l) *Comment. acad. Reg. scient.* 1718. p. m. 203.
a) III. p. 451. cum solus MARTIN sequitur *catal. plant. circa Cantabrig.* p. 47.

tarum, quod ab *Heliotropio* b) & *Lithospermo* c) separatum; DILLENIVS d), & LINNÆVS e) *Myosotidem* dicunt. Neque enim placet absque summa necessitate mutare classica nomina, neque *Myosotidis* nomen melius huic plantæ convenit, quam TOVRNEFORTIANÆ, imo vero Myosotis RVPPIANA signaturæ etiam minus respondet. *Scorpiurus* ergo *Alpina* folio est hirsuto, lato, caule humili, flore magno, vividissime cœruleo f). Hanc varietatem, nam vera est varietas *speciei palustris*, BOCCONE g) descripsit nomine *Echii scorpioidis alpini nani tomentosi supini*. Deinde *Lithospermum Alpinum tomentosum minimum* TOVRNEFORTIVS h), SCHEVCHZERVS i), TILLIVS k). *Lithospermum alpinum minus flore purpurascente, & flore albo* PONTEDERÆ l), ejus varietates sunt. Is, cum SCHEVCHZERO ad *arvense* potius retulit, sed flores majores facile demonstrant, ad *palustre* referendum esse. Verum nihilo magis differt a palustri, *Myosotis scorpioides latifo-*

b) Cui adcensuerat HERMANNVS & BOERHAAVIVS, differt omnino segmentis nullis intermediis; deinde globulis luteis, qui corollam faciunt, qua fauces clauduntur.

c) Eo retulerat TOVRNEFORTIVS ob semina, differt floris tubo breviori, & floralibus spicis Scorpii caudam referentibus, quæ vetustissima similitudo est, GESN. *tab. coll. stirp.* 80. *b. hort. German.* p. 280. & *Rondelet* apud GESNER *epist.* p. 84. b.

d) *Nov. gen.* p. 99. T. III.

e) *Flor. Lapon.* 75. &c.

f) Quo solo a *palustri* recedit, & similior est arvensis: sed dudum notum est, plantas alpinas odore, sapore, vividitate coloris superare plantas soli humilioris.

g) *Mus. di piante* p. 149. T. 107. ipse palustri simile facit flore, semine, perenni vita.

h) I. R. H.

i) *It. alpin.* II. p. 137.

k) *Hort. Pis.* p. 106.

l) *Compend. Tabular.* p. 83.

latifolia hirsuta MERRETI m) & RAJI n), neque unquam, opinor, distincta fuisset, nisi adeo animis hominum insedisset opinio, glabram o) esse eam speciem, quæ flore est majori: Quare cum hirsutam hanc viderent Botanici, & altiorem, & nascentem in dumetis, umbrosisque, factum est, ut eam distinguerent. *Lithospermum arvense majus* dixit SCHEVCHZERVS p), *medium* VAILLANTIVS, *Myosotidem hirsutam montanam & sylvaticam* DILLENIVS q), & SIEGESBECK r), *Myosotidem sylvaticam præcocem latifoliam hispidam* RVPP s), BVXBAVM t), & ultimo loco inter Botanicos nominandus ERNDL u). Ego certe nonnisi duas *Scorpiuri* species adgnosco, *flore minori*, cujus varietas est illud, quod a *luteis floribus* nomen habet non optimum w); & *flore majori*, cujus tres varietates sunt *palustris vulgaris, sylvatica maxima*, &

m) *Pin. rer. britannic.* p. 82.

n) vel DILLENII *Syn.* RAJAN p. 229. T. IX. f. 2.

o) Apparet ex nominibus HERMANNI, BOERHAAVII, MAGNOLII, VOLCAMERI, DILLENII, SIEGESBEKII, LINNÆI. Nostra vero, ubique vulgaris, & quam ex Belgio misit vir Clar ADRIANVS a ROYEN, pilos habent utique, & augent in solo sicciori.

p) *It. alp.* II. p. 137.

q) *Cat. plant. circa Giess.* p. 46.

r) *Primit. flor. Petrop.* p. 77.

s) *Flor. Jenens.* p. 8.

t) *Enum plant. circa Hal.* p. 231.

u) *Viridar. Warsas.* p. 80. Hanc censuram meretur, vel ob solum insignissimum plagium Fungorum omnium, quos ex HOFMANNI *deliciis sylvestribus* ad verbum exscripsit; & aliunde præterea patet, eum paucissimas unquam legisse plantarum, de quibus loquitur.

w) *Echium scorpioides minus flosculis luteis* C. B. in *Prodr.* p. 119. Nempe, etsi ratio luteoli umbilici ad segmenta cœrulea paulo major sit, non tamen flos luteus dicendus est, cujus maxime conspicua pars

& *alpina humilis*, si quidem hæc omnino etiam *varietatis* nomine digna fuerit.

§. LXIX.

In rupibus vicinis ubique *Rubeola saxatilis alpina* BOCCONE nascitur, quæ varietas est vulgaris (*allii albi minoris* a), paulo, ob loci rationem, humilior, & asperior. Plurima ibi *Lychnis alpina pumila gramineo folio* instar purpureum tapetum late saxis instrata, & *Saxifragia Pyrenaica foliis partim integris, partim trifidis*; Namque verissime, ex una radice, in unum cespitem, enascuntur *foliola* & integra, & bisecta, & trisecta. Solitaria vero, & in eodem loco non infrequens est *Saxifragia* alia, foliis modo integris modo trifidis, quam cum priori non bene conjunxit SCHEVCHZERVS b). Eam diu c) pro nova habui, neque certe quisquam, præter COLVMNAM d), eam descripsit, ejusque verbis recentiores nihil addiderunt, *Sedum* vero *alpinum pallido flore* GARIDELLI e), ut icone nostram refert utcunque, alienissimum nomen, habitum vero multo altiorem habet. Nostræ enim ex gracili *radice* folia ad terram multa in obtusam lingulam ex gracili ortu educuntur, viridia, non crassula, subhirsuta. In

pars vividissime est cœrulea. Hæc cæterum varietas tota hispidior, calyce hirto fusco, & habitu minimo distinguitur.

a) *Mus. di piante* T. 101.

b) *It. alp.* I. p. 49.

c) Et dixi *Saxifragiam alpinam habitu androsaces villosæ Com. Lit. Phys. Med. Norimb.* 1732. p. 196.

d) Nempe dixit ille *Sedi alpini* III. var. *foliis integris Ecphras.* II. p. 66. *Saxifragiam* III. in ic. p. 67. RAJVS *Sedi alpini tertii fr.* GREGORII *secundam varietatem* p. 1043. MORIS. *Sedum alpinum fr. Gregorii* III. Col. *Hist. Oxon.* p. 476. descr.

e) p. 438. ic. 91.

In noſtris alpibus ſemper integra vidi, inciſa f) vero uno alterove dente ex *Rhaetia* adtulit D. HVBERVS in hac ipſa Academia P.P. *Caulis* vix folioſus, paucos flores gerit in vertice. *Ovarium* ſub flore eſt, uti in *Saxifragiis* ſolet. *Petala* obſolete alba ex viridi, atque lineata. *Stamina* decem, quorum quinque longiora, apicibus luteolis. Ex ſummo ovario *Tubæ* longiuſculæ duæ apice recurvo. Voco nunc *Saxifragiam alpinam ſubhirſutam foliis longis raro dentatis.*

§. LXX.

In caſa alpina *M. Ober Neunenen* cibo & quieti aliquantum temporis dedimus. Circa eam caſam, ut alibi in *Jura* & *alpibus* abunde provenit *Lapathum*, quod *rotundifoium* dicunt, oblongo vero & obtuſo folio eſt; & *Napellus.* In veſtigiis defluentis nivis uberrima *Soldanella alpina,* nam *majorem* & *minorem* non diſtinguo. *Thlaſpidium Anchuſæ folio* ubique, & inter lapides *Juniperus alpina*, & *Leucojum vernum perenne album majus.*

LXXI.

Supererat adſcenſus unius horulæ, per anguſtæ vallis ſcopuloſum limitem, atque ſalebroſam viam, vocant *die leiter*: id circa meridiem confecimus, non ſine magna ex pulcherrimis plantis concepta voluptate. Naſcebantur non remoti ab invicem *Ranunculi,* quos expedire & facile erit, & minime inutile. Ergo in *Alpibus* omnibus & hic etiam frequens provenit *Ranunculus* flore flavo ſplendente magno, cujus diameter etiam unciam ſuperet, *foliis* ad caulem ſub ramo-

f) Ea eſt varietas foliis inciſis *Sedi alpini* III. fratris GREGORIJ apud COLVMNAM l. c. p. 66. & *ſedum alpinum tertium* in icone, eodemque nomine H. OXON. in icone ſ. XII. T. 9. f. 2. *Sedi alpini tertii fr.* GREGORII ſecunda varietas RAII p. 1043.

ramorum ortu gracilibus, digitatis, ad terram simillimis vulgaris *erecti acris*, trilobatis, lateralibus lobis bipartitis in duas partes, quarum interior tripartita obtuse, exterior bipartita est, Medius lobus tridentatus; Omnia, ut tota planta, & ipse calyx, hirsuta.

§. LXXII.

Alter non vulgaris, ad deliquia nivis cum *albo*, sed rarior, in *Gotthardo, Gemmio*, & hic in *Ober-Neunenen* provenit, humilis, nisi quod aliquando lætius exsurgat ad 3. 4. ve uncias, *radiculis* multis, longis & albidis, *foliis* & habitu levi, excepto *cauliculo*, qui hirsutus est; Ad radicem *folia* trilobata lobis lateralibus bifidis obtusis, medio trifido, subrotundis dentibus incisa, ambitu toto, orisque rotundis. Ad caulem fere uno loco unum trifidum vel quadrifidum folium, latis lobulis, quorum qui cauli proximi iidem minores sunt. *Flos* luteus splendens, in cauliculo triunciali, minor.

§. LXXIII.

Tertius alio tempore (Julio M. 1736.) lectus in *M. Thuiri*, secundo (LXXII.) similis est, levitate folii, caulis hirsutie, statura; Est tamen altior, & folia ad terram multo acutioribus segmentis incisa, ad caulem vero profundius digitata sunt segmentis gracilibus.

§. LXXIV.

Quartus albo colore petalorum, eorumque figura cordis simili satis diversus, præterea unam tantum alteramve ad caulem ligulam habet ex albida vaginula, *folia* ad terram vel integra, & per ambitum rotunde dentata, vel minus profunde trilobata. Accedunt tamen ad folia ejus *Ranunculi*, quem secundo loco diximus (LXXII.) *Ovarium* longius & pene in morem *palustris apii folio levis*.

N 2 §. LXXV.

§. LXXV.

Omnes hi *Ranunculi* habuerunt suos Botanicos, a quibus distincti sunt suis nominibus. Et prior videtur esse *Ranunculus alpinus pratensi repenti similis sed minor* MICHELI a) apud TILLIVM. An & *Rannnculus* IV. MARTENS b)? non recedit. Mihi vero certissime, etsi in *Gotthardo* & supremis alpibus proveniat, est ipsissimus *erectus acris*, neque aliam ob rationem ejus memini, quam ut monerem, ne pro novo habeatur ab aliquo συζετιφοιτων.

§. LXXVI.

Alter (LXXII.) dudum a JOHANNE BAVHINO a) traditus est pro varietate *albi*, & ejus icon *albi* iconi adjecta b). Eum MARTENS pro *secundo* c) delineat, nisi forte ob floris exiguitatem separari debeat. LINNÆVS *Ranunculum* dixit *caule unifloro foliis radicalibus palmatis, caulinis multipartitis sessilibus* d), deditque iconem nostri simillimam, uti neque desunt mihi specimina, in quibus caulis foliis destitutus humilitate *pygmæum* e) ejus refert. Eumdem, ob lanuginosos cauliculos, & folia exigua, intelligere videtur SCHEVCHZERVS, quando *Ranunculum saxatilem magno flore* f) in *alpibus* nasci dicit. Eo nomine plantam descripserat CASPAR BAVHINVS g), ita ut non recedat descriptio a nostro, sed

a) *Hort. Pisan.* p. 145.
b) *It. Spitzberg.* c. IV. T. I. ad D.
a) III. p. 861.
b) Superiorum interior, non mala.
c) l. c. T. G. f. e.
d) *Flor. Lapon.* 232. T. III. f. 2.
n) varietas l. c. T. III. f. 3.
f) *It.* l. p. 46. in *M. Jocb & Laubersgrad* &c.
g) *Prodr.* p. 96. *Pin.*

ſed ſtirpem perpetuas nives amantem naſci *Monſpelii* non viſum eſt probabile. Neque quidquam inveneram in PARKINSONO h), RAJO i), TOVRNEFORTIO k) & TILLIO l), unde plura de *Ranunculi monſpelienſis* hiſtoria diſcerem. Hic omnino videtur a vulgaribus diverſus manere poſſe.

§. LXXVII.

Tertius (LXXIII.) pro novo deſcriptus fuit a JOH. BAVHINO a), qui eodem in loco eum legit, quo & ego inveni, cum *Thora* in ſupremis paſcuis M. THVIRI naſcentem. RAJVS b) eodem etiam loco, eumdem invenit & diſtinxit. Figura BAVHINI rudior eſt, ſed tenuis inciſio foliorum, & ad caulem gracilitas ſufficit. An ſatis a priori diverſus? Multæ varietates intermediæ mihi videntur conjungere utrumque. Quia tamen JOHANNES BAUHINVS eos diſtinguit, & utriusque propriam iconem dedit, non intercedam, quin *Ranunculus tenuifolius montanus luteus* ſuum locum in familia diſtinctum tueatur, quem, niſi invenirem diſtinctum, non diſtinguerem, & etiam nunc invitus diſtinguo.

§. LXXVIII.

Quartus abunde diſtinctus eſt, neque quisquam eum conjungere auſus eſt, niſi cum *ſecundo* (LXXII.) JOHANNES BAVHINVS a). Et dudum etiam monitum eſt b), *majorem*

h) In C. B. *Theatr.* p. 338.
i) *Syll. plant. extra Brit. naſc.* p. 216. & *hiſt.* p. 595. cum aſteriſco.
k) I. R. H. *Schol. Bot. Pariſ.* p. 217.
l) *Hort. Piſan.* p. 144.
a) *Ranunculus montanus tenuifolius luteus* III. p. 416.
b) *Syllog. plant. extra Brit.* p. 216. *hiſtor. plant.* p. 592.
a) Et ex eo, planta non viſa, MORISONVS & RAJVS. Cæterum icon JOHANNIS *exterior* hunc exprimit.
b) A JOHANNE BAVHINO & SCHEVCHZERO IV. p. 339. &c.

rem *varietatem* CLVSII a *minori* nulla vera nota ſeparari. Vidi enim *majorem* folio rotundo integro, & *minor*, qui idem vulgatior, plerumque eſt diviſis foliis. Is omnino videtur, licet colore floris differat, vel ſimillimus certe eſt noſtro, *Ranunculus caule unifolio & unifloro foliis tripartitis*: ſi forte LINNÆVS c) defluxo demum flore eum legit, ut ex nudo caule & foliis pulchræ iconis ſatis video. *Ranunculus* III. MARTENS d) omnino idem eſt noſtro. Non videtur neceſſe eſſe, ut nomen addam *Rauunculi alpini humilis rotundifolii*, quem CASPAR BAVHINVS *majori flore* & *minori flore* diſtinxit, non cautiſſime diſtributis in vanam diverſitatem ſynonymis.

§. LXXIX.

Per dumeta, quæ *Chamærhododendros alpina villoſa* jam ſola faciebat, altiora loca amans, & quam glabra rarior, adſcendimus, donec & eæ ſylvulæ nos deſererent. Ibi ad lapides, non uno loco, latiſſimo ceſpite plantula ſaxa tegebat, quam olim in *Gemmio Valeſiæ*, deinde in *Gotthardo* legi, nunc uberrime ad ſcopulos viæ *die leiter* dictæ. Ei quidem, ex radiculis frequentibus folia in roſulas congeſta eduntur, læte virentia, firmula, anguſta, intra lineam, tres lata & ultra, confertiſſima. Si evolvatur ceſpes, repentes *cauliculi* apparent aliquot unciarum, cum foliolis conjugatis. Ex foliorum alis paſſim floriger *pedunculus*, vix duarum linearum altitudine, fert *florem* pediculo non breviorem, viridem, conniventem perpetuo. Is *calyx* quinque foliolis oblongis fit. Intra eum, nudo etiam oculo, ſed ad lentem facilius, adparent ſive *ungues* ſive *petala*, craſſiuſcula, neque petalodeæ teneritatis, apice teniter emarginato. Quinque ſtamina

c) *Flor Botan.* 231. T. III. f. 4.

d) Exemplar foliofum, ut ſæpe ſolent. Recte addit diverſitatem foliorum ad caulem a radicalibus hic nullam eſſe. c. IV. tab. H. f. c.

ſtamina ex eorum corpuſculorum intervallo eminent, pallentibus apicibus, *Quinque* alia oriuntur ſingulum ad radicem ſui *cordiformis unguis* ſ. *petali*, connatum mediæ ejus lineæ, & ubi hæc deſinit, liberum & eminens, apiceque ſuo onuſtum. O*varium* in medio flore pyriforme tres *Tubas* repandas emittit. Intus ad axin medium *ſemina* aliquot majuſcula, quæ ad lentem validius objecta augentem, videntur fieri una convexa facie intercepta inter duas planas facies. Hanc plantam pro nova edidi ante aliquot annos a), neque pœnitet. Nam etſi aliquantum cum noſtra conveniant plantulæ aliquot ſcriptorum vetuſtiorum, ii tamen non ita ſtirpem deſcripſerunt, ut quisquam poſteriorum eos intellexerit. Nempe forte huc pertinet *Sedum ſaxatile humillimum foliolis denſiſſime compactis floſculos fere ſine pediculo præferens* diligentiſſimi BVRSERI b), *Perpuſillum ſedum omnium minimum* LOBELII c), *Sedum montanum perpuſillum luteolis floribus* PARKINSONI d) ex LOBELIO, cum icone, quæ a noſtra planta non aliena eſt. *Sedum montanum perpuſillum luteum*, quod MORISON e), ex PARKINSONO, excitat planta non viſa. Et hi quidem eamdem ſtirpem videntur in mente habuiſſe. Sed & *Lychnis alpina muſcoſis foliis denſius ſtipatis floribus parvis calyce duriore* PLVKNETI f), iconem habet, quæ poſſit plantæ noſtræ convenire. Neminem vero deſcriptionem dediſſe, quæ ſufficiat cognoſcendæ plantæ, id facile apparebit evolventi loca, quæ excitavi. Verum & genus novum videtur requirere ſimilitudo cum *Alſine* maxima

a) *Comm. Lit.* 1736. *hebd.* XIII. & T. 1. f. 5.
b) *Act. ſuecic.* p. 531.
c) *Illuſtr. ſtirp. p.* 101.
d) *Theatr.* p. 738.
e) III. p. 471. & ic. cum nomine PARK. S. XII. T. 6. f. 14.
f) *Almageſt.* p. 233. T. XLII. f. 8.

xima eſt, foliis, calyce, ſtaminibus, Tubis: in eo differt, quod petala non caduca, non libera habeat, ſed connata ſtaminibus, & duriora; adde, quod calyce multoties ſint minora, ex quo factum eſt, ut diu me latuerint. Novo generi ſupereſt ut nomen in ponam. STÆHELINIAM quidem vocabo, quam BARTSCHIAM dicit amiciſſimus LINNÆVS g), cum vetuſtiori mihi videar jure gaudere, & ſcripſerim de planta, ante multos annos mihi cognita. Hanc *Cardiſtemonem* vocare poſſem, malo CHERLERIAM dicere, in memoriam Botanici eximii, cui plurimas & pulchras plantas debemus, quæ apud JOHANNEM BAVHINVM exſtant.

§. LXXX.

Dum lente adſcendo, *Lychnis alpina linifolia multiflora perampla radice* aliquoties adparuit, & *Linaria quadrifolia ſupina*, elegantiſſima plantularum, & uberrime proveniens *Pedicularis caule ſimplici foliis ſemipinnatis obtuſis laciniis imbricatis* LINNÆI, rara planta, & hoc ipſo loco primum a me lecta anno. 1731. Nihil admodum inveni, quod adderem deſcriptioni, quam alibi exhibui a). Cum ea *Salix pumila folio rotundo*, & alia *Salix*, de qua, cum dudum cognitæ plantulæ recentiores ſcriptores inventionem ſibi adrogent, aliqua addere viſum eſt. Repit per ſaxa alpium viridiſſima plantula, neque erigitur unquam, licet ad duos pedes ſerpat, ramoſa & frondoſa. *Folia* congeſta, elliptica, ovi forma, ſplendida, virentia, glabra, longitudine dupla & tripla ad latitudinem, terminata obtuſo ambitu. Sexu diſtincta eſt. Et *Mari* ſupra caulem, ex congeſtis foliis educitur

g) *Coroll. gener.* 967. & *Hort. Cliffort.* eodem fere tempore, quo ego diſſ. de *Pedicularibus* edidi. Malim CL. BARTSCHIO Americanam ſtirpem, STÆHELINO alpinam dari.

a) *De pedicularib. Helvet.* VIII.

citur ſpica nondum uncialis florigera, quæ fit foliolis circa ſcapum adgeſtis pallidis, in quorum ſinu *duo ſtamina* latent coccineis apicibus. *Feminæ* plantæ *ſpicæ* raræ paucis fiunt capſulis virentibus, erectis, longis, conicis, ex quarum apice Tubæ binæ erumpunt pallentes. Primus hanc plantam cognoviſſe videtur ARETIVS a) cui eſt *Balmenſtritten* frutex absque flore. Ex eo SIMLERVS b). CAMERARIVS eximiam iconem habet cum nomine *Salix puſilla humilis* c), quam exiſtimo ex GESNERIANIS eſſe. *Salix humilis repens* LOBELII d), *Salix pumila utrimque glabra* JOH. BAVHINI e), ex quo PLVKNET f), TOVRNEFORTIVS g) & TILLIVS h). *Salix alpina anguſtifolia repens* CASPARI BAVHINI i), an & eorum, qui idem nomen habent? RAII k), TOVRNEFORTII l)? *Salix latifolia folio utrinque glabro ſuperne ſplendente* RAII m), an & SCHEVCHZERI

a) Apud GESNER. in CORD. p. 234. b.
b) *Valleſ. & alp. deſcript.* p. 330.
c) *Epit. Math.* p. 108.
d) *Adverſ.* p. 423. non recedit. *Icon.* II. p. 138.
e) I. p. 2. p. 217. EX LOBELIO, absque alio ſynonymo. CHABRÆVS addit gloſſema *cortice rubente* p. 66.
f) *Almageſt.* p. 327.
g) I. R. H.
h) *Hort. Piſan.* p. 150.
i) Idque certo, cum & *Salicis* facie non eſſe poſt ARETIVM habeat, & brevia folia, utrinque glabra, & locum natalem *Prodr.* p. 159. *Pin.* CAMERARIANAM vero alio avocat, ad ſpeciem CLVSII, quæ inferne ſub cinerea eſt. LOBELIANAM male ad maritimam ſubincanam ſpeciem revocat, quæ alpina, & utrinque glabra eſt.
k) *Syllog. plant. extra Brit.* p. 226. *hiſtor.* p. 1423. incognitam ſibi.
l) I. R. H.
m) *Syll. plant. extra Brit. naſc.* in ſummo Jura, & *Hiſt.* p. 1422. Conjungit huic *pumilam* I. CLVSII in *Pann.* p. 102. ſed ei folia inferne ſunt ſubcinerea.

ZERI n), *Salix pumila alpina latifolia glabra* o) ejusdem, huc pertinent. Post hos omnes BOCCONE bonam iconem dedit, dixitque p). *Salicem alpinam minimam repentem retuso serpylli folio lucido,* quod nomen & SCHEVCHZERVS q) habet,) & brevius in iconibus *Salicem alpinam serpylli folio lucido* r), uti TOVRNEFORTIVS s)

§. LXXXI.

Jamque eram enixus ad montis culmen, quam longe accessus datur hominibus. Ibi ad rupes *Saxifragia montana ericoides* abunde provenit, sive *cœruleo flore* fuerit, sive *purpureo*, semen enim solum & capsulæ supererant. Nascitur ibi, sed & longe humilioribus locis Helvetiæ, *Onobrychis* illa quæ plebejo nomine *Esparsette* dicitur, passimque seritur alendo pecori idonea. Sed longe fuerunt gratiores quatuor conferti *Astragali*, qui pene unico loco gramineo, inter durissimas rupes juncti provenerant. *Astragalorum* feracissima est Helvetia. Præter *vulgarem ochroleucon* dulcibus foliis, qui hic etiam arduo in loco proveniebat, & alium, qui *Cicer sylvestre* dicitur, arvis calidioris *Helvetiæ* familiarem, habet planior *Valesia* a) *purpureum spicatum Pannonicum* CLVSII, pascua *Rhætiæ Astragaloides ochroleucum* TILLII b)

n) *It. alp.* I. p. 47. non videtur.

o) *Sylloge stirp. extra Brit.* p. 225. absque synonymo.

p) *Mus. di Piante.* p. 18.

q) *It.* I. p. 48. & V. p. 427. conjungit *Salicem saxatilem minimam* C. B. in *Prodr.* sed ea, ob folia rotunda, & venosa, & quod minima sit, est *Salix alnifolia* BOCC.

r) T. I.

s) I. R. H.

a) Inter *Leucam* & *Sideram* uberrime legi in itinere 1733.

b), prata circa *Grindelwald* & *Gemmius M. Astragalum foliis viciæ ramosum & procumbentem flore glomerato oblongo albo cœruleoque* SCHEUCHZERI c), idemque *M. Gemmi* & Scheidek, *Surenen*, & aliæ Alpes *pyrenaicum Barbæ Jovis folio non ramosum procumbentem flore ochroleuco glomerato* SCHEUCHZERI d), prata demum *Rhætiæ* inter *Lenz & Brienz Astragalum* illum *siliqua longa incurva*, qui *Polygalæ* nomine a CAMERARIO e), *Onobrychidis quartæ* a CLUSIO f) depictus est. Præter hos omnes, tres alii in rupibus vicini nascebantur. Eorum *primus*, qui paulo vulgatior est, in *Gemmio* abunde, imo vero si idem est RAJANO, etiam in Jura nascitur, similis utcunque ei, cui flores ex albo cœrulei sunt, ab eo tamen multis modis diversus. *Radix* enim plurimos *caules* fundere solet florigeros, plurimas foliosas alas, ex brachiis, qualia alteri *Astragalo* adpinxerunt CAMERARIUS & CLUSIUS. *Folia* multo propiora sibi & acutiora, & exiliora, quam cuicunque aliorum *Astragalorum*. *Florum* spica valde conferta: *Calyx* non ut in *albo cœruleoque* niger, sed viridis, firmis, levis, dentibus vix inæqualibus. *Flos* ex rubro purpureus, qualem & *Polygala* CAMERARIUS habet, *Vexillum* vix erectum amplum, *Alæ* amplæ & coloratæ, longissimis auriculis præditæ, non albæ, ut in illo SCHEUCHZERI,

b) p. 19. T. 14. f. 2. quæ *Astragalus recticaulis hirsuta* JOHANNIS BAUHINI & SCHEUCHZERI. *It.* alp. IV. p. 330. Eamdem existimo esse *Polygalo similem luteo flore* GESNERI *add. ad hort. Germ.* p. 260. b.

c) *It.* VII. p. 519. hoc loco, & in Itin. IV. p. 330. alio nomine.

d) It IV. p. 330. Eumdem in l. itinere vocat *alpinum foliis viciæ angustioribus flore ochroleuco.* p. 31. nisi is *Astragaloides* est, & in *Itin.* VII. *alpinum ramosum hirsutum flore ochroleuco* p. 509. de quo ex loco natali mihi constat.

e) In MATTH. *Epit.* p. 929. bon. ic.

f) *Pann.* 755. *histor.* p. CCXL.

RI. *Carina* cœrulea brevior roſtrata, *ſtamina* de more. *Siliqua* non longa ut in *Polygala* CAMERARII, ſed brevis, tumida, media crena diviſa bilocularis. Vno verbo, a *Polygala* CAMERARII foliis acutis, quæ *Polygala* omnino ovata habet, & ſiliqua brevi, ab eo vero cui *albi* & *cœrulei* flores ſunt, & purpureis floribus, & folis acutis, & calyce, atque ſiliqua non nigris differt. Omnino tamen huc videtur pertinere *Aſtragalus quidam montanus ſive onobrychis aliis* RAII g), in Jura lectus, neque enim *Aſtragalum* JOHANNIS BAVHINI, cui idem nomen eſt, huc refero, cum is ex CLVSII *Onobrychide quarta* ſit, quam ob longiores ſiliquas conjungo *Polygalæ* CAMERARII, etſi foliis acutis huic noſtro ſit propior. Eſt denique *Aſtragalus incanus ſaxatilis hirſutus minor, acuminato folio, flore purpuraſcente* TITÆ h), *Onobrychis foliis viciæ majoribus cœrulopurpuraſcentibus vel foliis Tragacanthæ*, non CASPARI BAVHINI, qui CLVSIANVM vult, verum SCHEVCHZERI i) forte.

§. LXXXII.

Alius, pulchra, & ſpecioſa planta, *caule* erecto, plures conjugationes foliorum recipiente, *foliis* viciæ, ex ellipticis paulum ad verticem anguſtioribus, nervoſis, glabris, *ſpica Aſtragalorum* omnium ampliſſima, laxa, in qua flores penduli. Ii flores *calycem* habent ex albo & purpureo varium, hirſutum, cujus dentes omnes capillares hirſuti, imi vero dentes longiores ſunt. *Flos* ipſe unciæ longitudine, purpureus, *Hedyſari* more ſplendens. *Vexillum* reliquis petalis amplius, ſæpe reflexum, cordis figura, nervo, & lata ovali plaga ad ortum notatum. *Alæ* extremo ovato, ſeparatæ non auritæ,

g) *Syll. plant. extra Brit.* p. 72. hiſt. p. 937.
h) In *Itin. poſt hort. Mauroc.*
i) Nam ſynonymum conjungit ex T. quod alibi refert ad eum qui *flore albo* & *cœruleo* eſt It. I. p. 45.

auritæ, macula ad ortum alba, extremo purpureo. *Carina* vexillo longior, purpureo obtuſo roſtro deſinit. *Vagina* & *ſtamina* decem ex gentis indole. *Siliqua* pene *Orobi*, emittit *Tubam* cylindricam Naſcitur in horridis præcipitiis *M. Stockhorn*, in *Gemmio* vero ſupra *ſpitalmatt* ubique. Vix reperio ſynonyma: *Aſtragalus* enim *Helveticus* CLVSII a) ita breviter dicitur, ut nemo in turba *Helveticorum* eum diſtinguat. SCHEVCHZERVS b) vero omnino deſcripſit noſtrum *Alpini Helvetici* nomine. Ego *alpinum erectum ſpica purpurea ſpecioſa* dixi alibi c). An *Aſtragalus alpinus perennis flore purpureo magno* TITÆ d).

§. LXXXIII.

Sed nunquam neque SCHEVCHZERVS viderat, neque ipſe vidi ſpecioſum *Aſtragalum*, qui coronidem itineri meo impoſuit, ſummo in cacumine *Neunenen* lectus, neque alibi. Ei lignoſa *radix* caules aliquot fundit folioſos & florigeros. Folioſi, habent decem pene paria foliorum, extremo inpare, ellipſi in acutiſſimum mucronem terminata, utrinque ſplendida, argentea lanugine obducta. Florigeri caules aphylli, firmi, gerunt ſpicam *florum* non multorum. *Calyx* villoſiſſimus, longis albisque pilis, de more ſuperius apertus, dentibus quatuor pene æqualibus, longiori quinto, villoſis omnibus, *Flos* longus replicato *vexillo* ſtricto & prælongo inſtar *Trifolii*, longe ultra reliqua petala educto, oris replicatis. *Alæ* carina longiores, *Carina* brevior lata, in mucro-

a) *Hiſpan.* p. 468. *Hiſtor.* CCXXXIIII.
b) *It.* IV. p. 330.
c) *Comm. Phyſ. technic. med.* 1736. p. 101. T. I. f. 2. cum icone non bona.
d) In *Itinere poſt. hort. Mauroc.*

cronem singularem terminata? Hæc omnia violacea fere, absque splendore, Nomen facio *Astragalus alpinus totus sericeus foliis acuminatis*. In recentissimo opere AMMANI *Astragalum* reperio, cujus descriptio meum omnino imitatur. Nomen fecit, *Astragalus non ramosus, villosus & incanus, spicatus, floribus purpuroviolaceis* a).

§. LXXXIV.

Hic itineris terminus fuit, quod præcipitare coegit urgens iter in *Germaniam*. Inde per aliam viam *Bernam* repetii & supra pagum *Thurnen* frequentem legi *Alceam folio rotundo, & laciniato*, quæ a *tenuifolia crispa* JOHANNIS BAVHINI b), & a *vulgari minori* FRATRIS minime differt. Ei enim *Bernæ* vulgatissimæ, prima quæ prodeunt, folia rotunda sunt. Ibi *Scabiosa Dipsaci folio* VAILLANTII, quam a *Scabiosa latifolia rubro flore* non distinguo. Hanc enim in *Helvetia* RAJVS b*), illam uterque BAVHINVS c) legit. Ego vero & circa *Basileam* & circa *Juræ* radices in *Helvetia Aventicensi* eamdem omnino plantam vidi. Trans paludosum pratum, quod *Gurbe* fluviolus medius perfluit, dum festini ambulamus, in fossis *Sparganium non ramosum*, *Lentibulariam*, & *Potamogetonem* invenimus, *folio gramineo ramosum* CASPARI BAVHINI d) foliis vix tertiam partem lineæ latis

a) *Plant. Ruthenic.* n. 167. p. 126.

a) *Malva montana s. Alcea rotundifolia laciniata* COLVMNÆ p. 148. cum icone opt.

b) II. p. 1067.

b*) *Syllog. stirp. extra Brit.* p. 228. *histor.* p. 378.

c) *Scab. maxima dumetorum folio non laciniato* I. B. III. I. p. 10. & *Scabiosa montana non laciniata rubra*. C. BAVHINI *cat. plant. circa Bas.* p. 80.

d) *Prodrom.* p. 101.

latis, ſpicis pene *Adonidis* in brevi pediculo, craſſis ſiliculis curvulis. Idem eſſe exiſtimo cum *Potamogetone puſillo folio gramineo caule rotundo* MERRETI e) & RAII f).

§. LXXXV.

Berna profectus, dum Juræ humillimum dorſum ſupero, ab inciſis rupibus dictum *Hauenſtein*, non absque aliquo fructu ſperavi fore, ſi plantulas quærerem. Ergo primo ad arcem *Falckenſtein* ſolidiſſimis rupibus ſuperſtructam, adſcendi feſtinus. Ibi *Daucum* illum *Tragoſelini criſpi folio* (XLII.) in rupibus inacceſſis vidi & folia legi, *Iridem* etiam *Germanicam*, *Acer criſpum* laciniis in acutis mucrones exeuntibus, *Meſpilum folio rotundiori fructu nigro ſubdulci* maturo, foliisque decuſſo omni tomento leviſſimis, quæ candida lana obducta Majo M. legeram, *Caryophyllum ſaxatilem* g), quem eodem in loco primum invenerat CASPAR BAVHINVS, foliis cruciatis, deorſum replicatis, latis, in rigidum acumen exeuntibus, rubella lanugine in ortu petalorum; quibus notis facile didici eumdem eſſe C*aryophyllum* II. CLVSII h), & *Caryophyllum ſylveſtrem flore magno inodoro hirſuto* CASPARI BAVHINI i). Tandem & *Cotoneaſter* GESNERI k) ibi naſcitur, quem facile demonſtrarem, eumdem eſſe cum ejusdem

e) *Pin. rer. Britan.* p. 97.

f) *Cat. plant. Cantabr.* p. 125. *Catal. plant. Angl.* p. 242. *hiſtor.* p. 190. *Syn.* III. p. 150. Ejus icon exſtat apud VAILLANTIVM T. XXXII. f. 4.

g) Ita vocabatur, cum diſtinctionis nomine *latifolius & anguſtifolius* in *herbario vivo* CASPARI BAVHINI.

h) *Pannon* p. 317. *hiſtor.* p. 282.

i) Ad plantam CLVSII.

k) *Epiſt.* p. 94.

dem *Chamæmespilo* l), nisi idem jam docuisset JOHANNES BAVHINVS m).

§. LXXXVI

Ad viam solet *Acetosa rotundifolia hortensis* reperiri, & *Chamæbuxus flore coluteæ*, sed utraque planta præcox est, & evanuerat. *Digitalis* utraque, *lutea magno flore* intus maculoso, folio hirsuto, & *parvo flore* foliis glabris, uberrime ad sepes. In omnibus etiam sepibus circa *Langenbrug* bicubitale *Aconitum Lycoctonum luteum*. In descensu vero ad *Wallenburg Stachys alpina* valde serotina, nam paucos adhuc flores explicaverat die 25. Julii. Ejus *Calyx* pentagonus est, Galea integra obsolete purpurea *Barba* concolor trifida, medio segmento longiore, recta protensa; fauces albæ, *stamina* obsolete purpurea. Odor non ingratus *Melissophylli*. Ex multis nominibus meminisse placet, me neque *Alpenkraut* LONICERI a) huc referre, neque *Salviam alpinam* TABERNÆMONTANI b), ut visum est CASPARO BAVHINO. Forte *Betonica longe major* CÆSALPINI c) huc facit. Sed certius *Urticæ fœtidæ Heracleæ* TRAGI *similis vel stachydi* JOH. BAVHINI d). Porro *Stachys folio obscure virente flore ferrugineo* MORISONI e), RAII f), BOERHAAVII g) & VAILLANTII

l) Ad *hort.* p. 254. b.

m) licet distinguat utrumque *Epist.* p. 91. 6.

a) p. CXCVIII. ei enim flos cœruleus est in longis spicis. Est forte mala icon *Hormini pratensis*.

b) p. 372. quam referrem potius ad Colum Jovis, nisi florem diceret purpureum. Vide folia & Galeam floris.

c) L. XI. c. XLIV.

d) *Font. Boll. descr.* p. 187.

e) *Hort. Blef.* p. 198. *hist. oxon.* III. p. 382. T. X. f. 11.

f) *Hist. plant.* III. p. 301.

g) *Ind. alt.* p. 154.

TII h), utique huc referenda, & quæ inde dependent, PLUKNETII i) plantæ, & WALTHERI k).

§. LXXXVII.

In sepibus, quæ descendentibus ad lævam sunt, non raro provenit elegans *Aster Pannonicus* CLUSII a), conspicua altitudine ad tres pene pedes, nutans. *Folia* ima petiolata, latiuscula, longo mucrone, ora raris denticulis serrata, eaque & nervis leniter pilosis. Superiora graciliora sunt. In summo Caule pauci, sed conspicua magnitudine *flores*. *Calyx* firmus fit multiplice ordine latarum squamarum hirsutarum. *Radii* lutei, trinervii, nervis exeuntibus in totidem denticulos, *tubus* brevis, & *Tuba* eminens aureo apice. *Flosculorum* ova minora. *Tubus floris* longior in quinque triangularia segmenta fissus. *Tuba* longa fusca, perforans *stamineam cylindrum*. Discernuntur semina erectis, gracilibus *squamis*. Sine dubio hunc *Asterem* CLUSIUS descripsit, neque enim papposum dixit semen esse, ut videtur legisse RAIUS b), sed manere in quodam villo capituli. Præter ejus synonyma magis recepta, refero huc *Conyzam majorem alteram*

h) *Botan. Paris.* p. 189. nobiscum sentit.

i) *Stachys latifolia major foliis obscure virentibus flore galeato ferrugineo Almag.* p. 358. T. 317. f. 4. non optime, consentiente RAJO III. p. 302.

k) *Stachys folio obscure virenti flore purpurascente Ind. horti sui* p. 108. T. XIX.

a) *Pannon.* p. 526. *Aster* III. *Austriacus* I. Hist. p. XIII. cum omnibus synonymis, *Astere* nempe *luteo majori folio Succisæ* C. B. &c.

b) Qui inter papposos *Asteres* habet CLUSIANUM, p. 267. Idem sentit MAGNOLIUS *Hort. Reg. Monsp.* p. 25.

ram THALII c), cujus icon plantam noſtram egregie exprimit, ſemenque nudum habet. Superflua ergo eſt *Conyza montana lutea foliis oblongis* CASPARI BAVHINI, *Aſter montanus luteus foliis oblongis* TOVRNEFORTII d). Porro huc revoco lectum haud procul *Aqua Helvetiorum Aſterem montanum luteum flore pallido foliis non ita rigidis leviter una cum caule hirſutis* BVRSERI e). Nam in M. *Boezberg*, quem *Baſilea* adveniens neceſſario ſuperavit BVRSERVS, noſtrum Aſterem legit D. HVBERVS. In recentioribus, facile diſtinguitur. Eſt nempe *Chryſanthemum Aſteris facie foliis Succiſæ* HERMANNI f), qui verum characterem plantæ CLVSIANAE primus detexit, MORISONVS enim eam habet inter papposas g). VAILLANTIVS *Aſteriſcum perennem villoſum ſerratum calyce imo non folioſo* h) facit. BOERHAAVIVS ex HERMANNO *Aſteriſcum calyce brevi anguſtifolium* i), LINNÆVS demum *Buphthalmum foliis lineari lanceolatis ſerratis, villoſis, calycibus nudis*.

§. LXXXVIII.

c) p. 21. ic. II.

d) Cum uterque ſit ad THALIANAM plantam ſolam. TILLIVS egregie plantam repetit, quæ nunquam diſtincta exſtitit, p. 19. ut manifeſto deprehendatur, ſive error ſive fraus fuerit.

e) *Act. Suecic.* p. 531.

f) *Flor. Batav.* p. 34. *hort. Lugd. Bat.* p. 144.

g) *Aſter luteus Pannonicus primus hiſt. Oxon.* III. p. 117.

h) 1720. p. 430. Folia non villoſa ſed *ſubhirſuta* ſunt.

i) *Ind. alt. hort. Lugd. Bat.* p. 105. & pene mavult diſtinguere, nomine *Aſteriſcoidis*, quod calycis imi foliola aberrantia non habeat.

k) *Hort. Cliffort.* p. 114.

§. LXXXVIII.

Jamque ſuperatis, quæ erant aſperrima, lenis declivitas nos comitata eſt *Baſileam*, urbem, quam absque gratæ mentis recordatione nefas mihi eſt nominare. Ibi enim audivi JOHANNEM BERNOVLLIVM; Ibi in amicitiam DROLLINGERI, STÆHELINI & KOENIGII veni, quæ mihi ſemper erit dulcis, dulciſſima fuit olim, quando juvenis iis viris inmiſtus mihi vel ex eo placui, quod conſortio eorum non penitus ipſis indignus viderer. Ibi primas herbulas legi, & etiam tum, cum *Botanices* rudimenta diſcerem, ad *hiſtoriam ſtirpium patriarum*, ex longiſſimo certe intervallo ſperatam, audaci conſilio me paravi.

§. XIC.

Conſervat ibi familia BAVHINIANA, & EMANVEL BAVHINVS, qui avorum æmulatione ad medicos honores nuper adſpiravit, precioſum rei herbariæ cimelium, hortum ſiccum CASPARI BAVHINI, in quo, non eæ ſolæ plantæ, quas *Pinax* habet, eodem ordine collectæ exſtant, ſed aliæ præterea non paucæ, neque ſatis cognitæ, tum numeroſæ icones, quæ lucem publicam nondum viderunt. Adſunt etiam doctorum virorum ad CASPARVM datæ literæ, ex quibus plurimæ de re herbariæ lites confici poſſent: adſunt denique ſchedæ, ex quibus Theatro Botanico non unum volumen addi poſſet.

§. XC.

Sed præter eum hortum ſiccum, Bibliotheca publica poſſidet herbas HAGENBACHII, qui ex itinere in alpes Bernenſes multas & elegantes plantas in CASPARI opera contulit, ut ex graminibus in Theatri I. volumine æſtimare

 licet

licet. Pulcherrimus est etiam hortus siccus BENEDICTI STÆHELINI, a Patre botanico, & a filio felicissimo, atque industrio, stirpium inventore collectus. Eum plurimæ ab amico utriusque VAILLANTIO adceptæ stirpes decorant, pretiosiorem tamen reddunt multæ, & raræ plantæ, a BAVHINO prætervisæ, aut minus curiose cognitæ, quas in patria regione multorum annorum junctis laboribus detexit BENEDICTVS JOH. HENRICI F. STÆHELINVS.

§. XCI.

Sed eripuit me desiderabili moræ urgens necessitas. Per beata rura *Alsatiæ* rapido itinere properans, vix mihi permisi, ut plantulam aliquam decerperem. Plurimus ibi ad viam nascitur *Dipsacus foliis laciniatis*, quem eximius LINNÆVS a) cum vulgari conjungit. In iis tamen speciminibus, quæ per bidui iter cum *vulgari* copiosissime vidi provenire, visus sum mihi, non unam diversitatem reperire, etiam si ad folia non respicias. *Capitulum* longum, *flos* albus est, nunquam, ut in altero purpureus, statura altior, *squamarum* demum spinæ non rectæ, sed repandæ, & extrorsum conversæ. Poterit itaque, ut videtur, locum suum tueri. In *Alsatia* plurimum, *Wormatiæ*, unde ad latum esse testatur CASPAR BAVHINVS b), nullum omnino vidi.

§. XCII.

Circa *Drusenheim*, viculum in quo nihil est quod *Drusorum* nomine dignum sit, frequens est *Blattaria*. Ibi etiam *Raphanistrum flore melino* legi, elegantem varietatem, uti aliam *flore cœruleo* ostendit *Basileæ* vir felicis industriæ STÆ-

HELI-

a) *Hort. Cliffort.* p. 29.

b) In *herb. viv.*

HELINVS. Sed utrumque non a) videtur differre a vulgari illo *albo* arvorum, quod utique *Helvetiæ* multo familiarius eſt, quam noſtræ *Germaniæ*. *Gernsheimi* in ſtagno cum *Hydrocotyle*, & *Salvinia* MICHELII, magnus eſt proventus *Tribuloidis*, cujus *ſtamina*, ut *deſiderato* LINNÆI b) ſatisfaciam, ſunt quatuor; *Tuba* vero ex roſtrato ovario, una, recurvo apice, & virente.

§. XCIII.

Circa *Lauterburg*, in arenoſa ſylva, quæ *Spiram* ducit, ceperat comitem ſe addere euntibus *Stœchas citrina*, ea ubique ad *Oppenheim* uſque frequens eſt. *Spiræ Alyſſon* illud floribus profunde inciſis, quod *Thlaſpi incanum Mechlinienſe* dicitur LOBELIO a), & *Chondrilla viminea*, & *Eruca tenuifolia perennis*, quæ *Manhemii*, *Wormatiæ*, *Oppenheimi*, frequentiſſima eſt, *Genevæ* in ipſis muris urbis familiaris. Circa *Guntersblum* in foſſis *Althea* officinarum frequens eſt, ad aggeres vero viarum *Oreoſelinum minus*; & *Onobrychis echinato capite*, quæ nobis montanæ plantæ ſunt: deinde propius *Oppenheim Ammi perenne* ſive *Falcaria* RIVINI, *Millefolium nobile*, & in ipſis ruderibus arcis uberrima copia *Daucus Alſaticus* CASPARI BAVHINI. De eo, cum non in vulgum notus ſit, neque absque errore deſcriptus a quibusdam Botanicis, aliqua, priusquam finem faciam, viſum eſt addere.

P 3 Ei

a) Neque RAIO conſ. *Syn.* III. p. 296. habet enim non habitum ſolum, ſed & venas florum ſimillimas. Erit ergo exemplum, neque enim plurima ſunt, floris absque cultu *albo* colore & *flavo* ludentis.

b) *Char. gen.* 899.

a) *Obſ.* p. 108. in arenoſis ubique, *Hanoveræ* ſimilibus locis naſcitur.

§. XCIV.

Ei *radix* unica eſt, non nimis acris, dura defixa. *Caulis* ad humanam altitudinem, profunde ſulcatus, ut etiam angulofus videatur, plerumque purpureus, admodum ramoſus, latis vaginis ad ramorum ortum, ut junior peculiarem habitum *Hippomarathri* RIVINI non male exprimat. *Folia* ad terram ampliſſima, & frequenter cubitalia, magnis & ſulcatis coſtis. Numeravi ramoſarum alarum *primarum* ſex paria. In quavis earum, quæ inter primas ſunt maximæ, *ſecundarum* ramoſarum tria, quatuor. In maxima *ſecundarum* petiolatarum *tertiarum* unum par, ſeſſilium unum. In *tertiis* trilobatus habitus. *Lobus primus medius* denuo trilobatus, lobis *ſecundis* lateralibus bifidis, *medio* trifido. *Lobi primi laterales* inæqualiter quadrifidi, quinquefidi. Lobi ultimi, modo dicti, lati, ad ſeſquilineam, inciſionibus ultimis profundis, rectis, laciniis ſpinula terminatis. Omnia firma, glabra, ex flavo viridia, aromatica. *Vmbellarum* petioli longi, ipſæque raræ, neque pro portione plantæ, ex peculiaribus umbellulis pene duodecim. *Calyx univerſalis* aliquot *foliolis* non latis, per ætatem non reflexis, vagisve. *Calyx* peculiaris latiuſculis aliquot foliolis. *Semina* immatura ſtriata, videntur alarum rudimenta quædam habere. *Tubæ* duæ ex tumida *placentula* bifida, breves. *Petala* quinque æqualia, integra, cum viredine luteola. Et ea quidem facies erat. In CORDI *Daucis* latere exiſtimavi hanc plantam, neque tamen eruere potui. Ergo a *Dauco Alſatico* CASPARI BAVHINI a) initium feci, cujus icon non incommoda eſt. Nomen apud PARKINSONVM b),

RAIVM

a) *Prodrom.* p. 77. *Pin.* ex pratis paluſtribus. Noſter ſicco loco, in ruinis arcis antiquæ.

b) *Theatr.* p. 900.

RAIVM c), MORISONVM d) exſtat, & in *Schola Pariſina.* Deinde JOHANNES & ipſe pro nova dedit *Umbelliferam alſaticam magnam* e), *umbella parva ſublutea,* quod nomen RAIVS f) habet alibi. MORISONVS ſeminis aliqua ſimilitudine deluſus, *Thyſſelino* non genere, ſed ipſa ſpecie conjunxit g). Inde factum eſt, ut RVPPIVS *Paſtinacam* diceret, *paluſtrem altiſſimam folio Seſeleos pratenſis* h). LINNÆVS *Oreoſelina Thyſſelinis* & noſtrum utrisque conjunxit i), ſed a *Thyſſelino* quidem manifeſto differt, floris petalis neque cordatis k), neque inæqualibus, *calyce* univerſali l) non reflexo, & quantum video in ſemine inmaturo, ſemina & ſi alata ſint, non plana ſunt. Recte & ex ſuis notis, & ex ratione calycis videtur conjunxiſſe TOVRNEFORTIVS *Oreoſelinis* m). Eum BOERHAAVIVS n) & LINDERN o) ſecuti ſunt,

§. XCV.

c) *Syll. plant. rar.* p. 114.

d) *Hiſt. Oxon.* III. p. 317.

e) III. p. 106. cum icone & deſcriptione non malis. Inde CHABRÆVS p. 393.

f) In *hiſtor. plant.* p. 414. Ipſe plantam vidit, in *Palatinatu.*

g) *Umbellif.* p. 84. cum neq; lacteſcat, neque multas radices habeat &c.

h) *Flor. Jenenſ.* p. 221.

i) *Selinum foliis pinnatim laciniatis, lacinulis trifidis obtuſis hort. Cliffort.* p. 92. conf. *char. gen.* 210. Ex LINNÆO nomen conſervavit ROYEN p. 106.

k) Apex replicatus eſt ex lata bracteola, ſed vera inciſio nulla. Dudum vero obſervavit DILLENIVS, flores plantarum *Umbelliferarum luteos* regulares eſſe. *cat. plant. circa* Gieſſ. p. 7.

l) Qui in *Thyſſelino Plinii* noſtrate nullus eſt.

m) *Oreoſelinum pratenſe cicutæ facie.* I. R. H.

n) *Ind. alt.* p. 68.

o) *Tournef. Alſat.* p. 127.

§. XCV.

Jamque *Francofurti* eram, ubi comite D. SENKENBERGIO a) nuper *Archiatro Homburgenſi*, floram ejus urbis a CLVSIO laudatam, & ipſe inviſurus, morbo impeditus fui, neque quidquam reſtituto ſuperfuit, quam ut GOTTINGAM redirem.

a) Qui & *Francofurti*, & in *M. Hundsrück*, & in montibus ſylvæ *Weſterwald*, & circa *Moguntiam*, paſſim multas elegantes plantas legit, quarum aliquas ejus munere poſſideo, ut *Carduum mollem laciniatum* I. CLVSII, *Pentaphylloides erectum* &c.



Tab. 1.



Saxifragia Pÿrenaica foliis partim integris, partim trifidis.



Brÿum capillaceum crebris per caulem capitulis



Cherleria.

C. J. Rollinus Med. C. delin. C. F. Fritzsch C. filius. Sculp.

Tab. 2.



Saxifragia alpina Subhirsuta, folii longis raro dentatis

Astragalus alpinus violaceus aculo Sericeo folio.

Sphagnum acaulon maximum foliis in centro ciliaribus.

C. J. Rollinus Med. C delin. C. F. Fritzsch C. filius. Sculp.



§. I.

Pauculos elapſae aeſtatis dies inpendimus itineri per Hercyniam ſyluam, quo ſuprema eius iuga ter omnino ſuperauimus, vidimus fodinas argentiferas Clausthalienſes, antiquiſſimas Vitrioli, ſulphuris, Cupri, Plumbique Venas Montis Rammelii, Montem tandem Bructerum qui in hac boreali Germania altiſſimus habetur; atque plusculas ſtirpes collegimus vel lectas olim a THALIO, ſed poſtliminio demum in notitiam Botanicorum reuocandas, vel alioquin non vbique obvias, neque explicatas ſatis. Operae ergo precium duximus vt obſcuriores ſtirpes, adeo incognitas hodie vt pene nouae ſint, deſcriberemus, enarraremus dubia ſynonyma aliarum, vulgatiores demum alias; ſed montanas tamen, ipſis ſaltem nominibus indicaremus.

§. II.

In luco WEENDAE proximo, ad primum a *Goettinga* lapidem PETASITES naſcitur non viſus in *Hel-*

vetia, & cuius nomen difficile fuerit eruere. Nafcitur ad puriffimam fcaturiginem, quae rotas agit molendini comminuendis in Chartam fcriptoriam pannis deftinati. A vulgari heluetico, qui *maior vulgaris* paffim audit, non foliis adeo differt, fed fpica floris longiore, laxiore, pedali, rara, pedicellis longis & faepe pendulis: *Calyce* non longo adeo, neque acutis, neque reflexis, fed fubrotundis fquamis facto, vnico concinno ordine flosculos preffe circumftantibus: *Flore* in quacunque aetate albo & quafi fene, quod vix nifi pappus feminum vltra calycem emineat, multo exiliore quam in noftro *maiori*; *Flosculis* demum androgynis pauciffimis, vno vel altero, fubrubellis, qui multis femininis flofculis cinguntur, quorum femen & pappus eadem funt, fed campanulae loco bifidus *Tubus* eft, emittens absque omni ftamine Tubam. Promptum eft, & Character id fuadere videtur, referre noftram ftirpem ad *primam fpeciem Petafitidis maioris vulgaris*, quam RVPPIVS a) dixit duorum generum flofculos habere. Eam BVXBAVM b) repetiit nomine *Petafitis in medio maioribus flofculis, reliquis minoribus*. In *fynopfi ftirp. Britannicar. Ed III.* c) vocatur *Petafites maior floribus longis pediculis infidentibus*; eodemque nomine pulcherrime depingitur in *Hort. Eltham.* d) Verum ab ea facile noftra diftinguitur flore lato non ventricofo, & calyce, cuius in DILLENIANA icone fquamae videntur multorum ordinum pingi, a noftra fabrica diuerfiffimae.

Miffus

a) *flor. Jenenf.* p. 153.
b) *Enum. plant. circa Halam nafc.* p. 258.
c) p. 179.
d) p. 309. ic. CCXXX.

Miſſus eſt hic ipſe Weendenſis Petaſites pro *Petaſitide minori* C. B. P. Verum licet iſte manifeſto floſculos duorum generum habeat, vti ex primi inuentoris CAMERARII e) icone adparet, & haud diſſimilem a noſtra aut RVPPIANA ſtirpem a Germanis THALIO, f) SCHWENKFELDIO g) LOESELIO h) HOFMANNO i), VOLKAMERO k) DILLENIO l), a BESLERO m) demum deſcriptam eſſe, vel ipſa locorum ſimilitudo ſuadeat, certum tamen eſt n) *Petaſitidem minorem* C.B. Cacaliae tomentoſae ad finem eſſe, & hinc molli lanugine obductum folium habere, inde ſature virens & glabrum pauco goſſypio pubeſcens. Sed & I. B. aliam ſtir-

e) *Petaſites flore albo Epit. Matth.* p. 593. Idem vocat *Petaſiten noſtrum Leucanthemon hort.* p. 122. qui licet odoratus ibi dicatur, deſcriptus equidem videtur a LVGDVNENSIBVS nomine *Petaſitis odorati*, non vero depictus p. 1054, florum enim icon & ſitus omnino ad vulgarem pertinet.

f) *Petaſites flore candido hercyn.* p. 91. Andersbergae.

g) *Petaſites alpina*, *ſtirp. Siles.* p. 155. quem dicit flore eſſe ſubluteo.

h) *Petaſites minor Flor. Pruſſ.* p. 192.

i) *Tuſſilago maior altera ſiue Petaſites minor. Delic. ſylv. Flor. Altd.*

k) *Flor. Norimb.* p. 325. *Petaſitem minorem* vocat.

l) *Catal. plant. circa Gieſſ. naſc.* p. 37.

m) in *hort. Eyſtettens. Hybern.* Tab. V. f. II vbi equidem icones commutatas eſſe & haec quidem vulgarem, quae vero vulgarem dicitur indicare illum *flore albo* exprimere videtur, ſi figuras florum propius ſpectes.

n) *ex herb. viv.* Quare & SCHEVCHZERVS noſter *Itin. V.* p. 425. cum *Cacalia tomentoſa* eum coniunxit.

pem videtur intellexiſſe o), qui ſexus diuerſitatem deſcriptione ſua excludit. Diligentiſſimus tandem RAIVS p) Genuae ſuam plantam deſcripſit, vt vix Germanici ſoli videatur. Quare noſtram, neque pro CAMERARIANA q) neque pro RVPPIANA ſtirpe tradere auſi, proponimus eruditorum diſquiſitioni: neque ſuſtinemus pronunciare cuinam ex tribus propoſitis plantis conueniant ſynonyma AMBROSINI r), MORISONI s), HERMANNI t), SVTHERLANDI u), MAGNOLII x) TOVRNEFORTII y), PLVKNETII z), RAII aa) PONTEDERAE bb), LEMERYI cc), TILLI

o) v. *Petaſites albus anguloſo folio, hiſt. plant.* III. p. 567. qui *Petaſites folio anguloſo, radice geniculata caule ſtriato* dicitur CHABRAEO *Sciagraph.* p. 513.

p) *Syllog. Plant. extra Brit.* p. 201. vti & I. B. pro exotica deſcripſit.

q) Quam, Germanica cum ſit, & Noribergae ab eius exceſſu perpetuo viſa, proximam noſtrae vel eamdem eſſe auguramur.

r) *Petaſites minor Phytolog.* p. I. p. 419.

s) *Petaſites flore albo. Hort. Bleſ.* p. 156. *Petaſites maior albus anguloſo folio H. ox.* III. p. 95.

t) *Petaſites albus anguloſo folio. H.L.B.* 488.

v) *Flor. Bat. Petaſites minor.*

u) *Hort. Edimb. Petaſitis minor* p. 267.

x) H. R. M. p. 157. eodem nomine.

y) eod. *Schol. Bot.* p. 10. & I. R. H. eodem.

z) *Almageſt.* p. 288. nomine I. B.

aa) eodem *Hiſt. plant.* I. p. 261. ex I. B.

bb) eodem *Diſſ.* p. 159. vbi de floſculis femininis nulla fit mentio.

cc) *Diction. de drog. ſimpl.* p. 416. *Petaſites minor.*

TILLI dd), VAILLANTII ee), BOERHAAVII ff), MILLERI gg), WALTHERI hh) De vulgari maiori addere visum est, icones FVCHSII ii), TRAGI kk), MATTHIOLI ll), TABERNAEMONTANI mm), spicam nimis arctam & breuem facere, optimam vero esse, quam DODONAEVS nn), LOBELIVS oo), & CLVSIVS pp) proposuerunt.

§. III.

In omnibus circa Goettingam nemoribus, vmbrosis locis & in dumetis, prouenit Pyrolae species, cui Tuba recta est, minor quam altera cui stamina & Tuba declinata sunt, folio frequentius serrato, spica breviori, & densiori. Paulo rarior obseruante RAIO a) est haec altera, atque montana herc-

dd) *hort. pisan.* 133. eodem nomine.
ee) *Memoir. de l' Acad.* 1719. p. 403. eodem.
ff) eod. *Ind. alt. hort. Lugd. Bat.* p. 118.
gg) *Gardeners Dictionary* nomine I. B.
hh) *designat. plant. hort. sui* p. 96. *Petasites maior flore albo.*
ii) p. 644.
kk) eadem p. 414.
ll) p. 849.
mm) p. 749.
nn) *Pempt.* ed. 1616. p. 597.
oo) *Icon.* p. 591.
pp) *Hist. plant.* p. CXVI.
a) *Catal. stirp. in ext. region* 1673. p. 59. & in altera Editione 1694. sive *Catal. stirp. Exterar.* p. 211. coniecturam addidit de diuersitate sexus, quam nemo secutus est.

hercyniae ſyluae nemora Iuraſſique coryleta amat, ſpecioſa altitudine, ſpica laxa longiori, Tuba proboſcidis inſtar ex pendulo flore incurva, foliis vix ſerratis amplioribus. Difficile eſt ſynonyma inter vtramque partiri, cum ante RAIVM diuerſitas earum neglecta fuerit. Manifeſtum tamen eſt, maiorem cui ſtamina & Tuba deflexa ſunt, proponi a CAMERARIO. b) IOH. BAVHINO c), & poſt hos a RAIO d) RIVINO e), RVPPIO f) TOVRNEFORTIO g), LEMERYO h), DILLENIO i), ERNDTELIO k) LINNAEO l). Non ita certum eſt eamdem proponi a LOBELIO m), aut vtramque

b) *Pyrola*. EPIT. *Matth*. p. 723. ſpica laxa, Tuba incurua, folia iuſto longiora.

c) deſcript. *Pyrolae*, vbi florem difformem & Tubam recurvam habet *hiſtor. Plant.* p. 535. Icon. ex DODONAEO eſt obſcurius diuerſitatem exprimens.

d) HIST. *plant.* II. p. 1233. & *ſynopſ.* III. p. 363. vbi minorem Tuba recta diſtinguit, a *maiori* de qua agimus.

e) qui diuerſis iconibus, & nominibus *Pyrolae*, *Pyrolae folio rotundo* & *Pyrolae folio obtuſo* maiorem noſtram expreſſit *Pentapet. Irreg.*

f) cui eſt *Pyrola maior & elatior foliis oblongis piſtillo florum incurvo*, *flor. Ienenſ.* p. 236.

g) *Mat. medic.* L. II. p. 140. L. III. p. 190. ex deſcriptione.

h) *Pyrola Dict. des Drog.* p. 451. & T. 18. f. 14. ic. DODONAEI.

i) *Cat. plant. circa Gieſſ.* p. 94. *Pyrola.*

k) ad mentem RIVINI *pyrolam* vocat, & denuo *pyrolam folio obtuſo. Viridar. Warſav.* p. 99.

l) *Pyrola ſtaminibus & piſtillis declinatis Fl. Lapon.* 169.

m) *Pyrola a pyrifolio Ic. ſtirp.* p. 294. ſimilis CAMERARIANAE ſed obſcurior.

que diftingui a CLVSIO n); neque fatis eas diftinxit BESLER o) aut MORISON p). Sed Tubam rectam adeoque alteram fpeciem habent RIVIN. q) RVPPIVS r), WALTHER s), DILLENIVS t). Plane non liquet de ftirpibus BRVNFELSII u), DORSTENI x), FVCHSII y) TRAGI, z), GESNERI aa) LONICERI, bb) MATTHIOLI cc), DODONAEI,

n) Varietatem facit *Pyrolae vulgatioris folio maiori & molliori* & aliam folio *minori* & *duriori*, PANN. p. 505. & *Hift.* CXVI. *defcr.* fed veras notas diftinguentes non tradit: Eas varietates fervat C. B. P. & MOR.

o) *Pyrola H. EYST. Aeft. Ord. V.* T. XI. f. 2. folia & exiguitas plantae refpondent, Tubae aliae rectae, aliae incurvae.

p) *Pyrola rotundifolia maior. H. Oxon.* III. p. 504. habet defcriptionem I. B., icones duas, aliam rectis, aliam incurvis Tubis, hancque maiorem.

q) *Pyrola minor. Pentap. irreg.* bene.

r) *Pyrola rotundifolia maior. flor. Ienenf.* p. 236.

s) *Defign. plant. hort. fui.* nomine RIV.

t) *Catal. plant. circa Gieff.* p. 94. eodem nomine, tum *fynopf.* RAIANAE *Edit.* III. p. 363.

u) Pirolae HIERONYMVS HERBAR. II. p. 312. facit marem & feminam. BRVNFELS v. III. p. 88. obfcuram dat Iconem.

x) fimilis icon. p. 225.

y) *Limonium* c. 175. p. 467. Tuba brevis recta, fed fpica rara, habitus altior.

z) *Limonium fylveftre* p. 707. ead. Icon.

aa) *de collect. ftirp. Pirola*, nihil diftincti, neque *Pirola vulgo dicta hort. German.* p. 272. *b.*

bb) *Limonium pratenfe herbar. Germ.* 1560. L. V. cap. 235. habet icones DORST. & FVCHSII.

cc) in DIOSC. p. 982.

NAEI, dd) CAESALPINI ee) CASTORIS ff) THALII gg) LVGDVNENSIVM hh), TABERNAEMONTANI ii), SCHWENKFELDI kk), C. BAVHINI ll) PARKISONI mm) AMBROSINI nn), MERRETI oo) LOESELII pp) ELSHOLZI qq), HOFMANNI rr) NYLANDI ss), COMMELINI tt) HERMANNI uu), KNAVTII xx) MAGNOLI yy,) FRANCI zz), SIBBALDI aaa) SVTHERLANDI bbb), PLVK-

dd) *Pempt.* ed. 1616. p. 138. *Pyrola.*
ee) *de plant.* L. VIII. cap. 32.
ff) *Pirola herb. nuovo* p. 363.
gg) *hercyn.* p. 85. *Pyrola maior seu Beta sylvestris.*
hh) ex *Dodon. hist. plant.* p. 841.
ii) *Pyrola* p. 758. ad minorem Tuba recta videtur pertinere ob folia crenata &c.
kk) *Pyrola maior* p. 172. *stirp. siles.*
ll) *Pyrola rotundifolia maior.* C. B. P. & *plant. Basil.* p. 56.
mm) *Pyrola nostras vulgaris* p. 508. cum *icone Lobel.*
nn) *Pyrola maior siue beta sylvestris Phytol.* p. 450.
oo) *Pyrola Pin. rer. Brit.* p. 99.
pp) *Pyrola rotundifolia maior. flor. pruss.* p. 209.
qq) eod. nomine, *flor. March.* p. 163,
rr) *Pyrola Delic. sylv. altd.*
ss) *nederl. Kruyt.* 6. p. 112.
tt) *Pyrola rotundifolia maior. catal. pl. indig. holl.* p. 92.
uu) H. L. B. p. 311.
xx) *Enum. plant. circa hal.* p. 64.
yy) H. R. M. p. 166.
zz) *Pyrola limonium, Flora francica* p. 468.
aaa) *Pyrola, spec. hist. nat. Scot.* p. 44.
bbb) *Catal. plant. hort. Edimburg.* 281.

PLVKNETI ccc), VOLKAMMERI ddd), MVNTINGII eee), TOVRNEFORTII fff), TITAE ggg), IOHRENII hhh), TILLI iii), DALE kkk), LINDERI lll), BOECLERI mmm), BVXBAVMI nnn), SIEGESBECKII ooo), VAILLANTII ppp).

De maiori omnino loqui videtur TOVRNEFORT qqq), & BOERHAAVIVS rrr).

De minori DUVERNOI sss), & MICHELI ttt).

ccc) *Almagest. Bot.* p. 309.
ddd) *Pyrola nostras vulgaris, Flor. Nor.* p. 347.
eee) *Pyrola officinarum vulgaris, waare oeffening* p. 552.
fff) *schol. Bot.* p. 5.
ggg) *hort. Mauroc.* p. 141.
hhh) *Vadem. botan.* p. 169.
iii) *hort. pisan.* p. 141.
kkk) *Pyrola pharmacol.* p. 333.
lll) *Pyrola rotundifolia maior. Tournef. Alsat.* p. 106.
mmm) *Mater. Med.* p. 560.
nnn) *enum. plant. circa Hal.* p. 274.
ooo) *Pyrola rotundifolia maior. Primit. flor. Petrop.* p. 92.
ppp) *Botan. paris.* p. 169.
qqq) IRH. conf. Tab. 131.
rrr) *Jnd. Alt.* p. 278. Characterem enim genericum utriusque subit Tuba incurva.
sss) *Pyrola rotundifolia minor. Catal. pl. circa. Arc. Tub.* p. 123. in quo natali solo ipse legi minorem vulgarem, nunquam eam, cuius nomen dedit AVCTOR, raram & montanam stirpem.
ttt) *Pyrola folio subrotundo leviter crenato* apud TILL. *hort. pis.* p. 414.

Pyrola rotundifolia minor RVPPII uuu), quam cum duriori CLVSII coniungit, videtur minoris varietas esse.

§. IV.

In syluis inter *Nürten & Soeterohr Fungus paruus lubricus, aureus, lamellis raris amplioribus, pediculo crassiore* 1) repertus est: cui pediculus flavus splendens, latus, in medio linea depressiori notatus: Capitulum leniter pulvinatum vel planum, totum viscidum, superius aurantium, lamellis raris, paucis, crassis pallidioribus. Eam vero syluam egressi, in agello cis pagum *Soeterohr* elegantia sua spectabile vidimus *Papauer erraticum maius flore albo*, varietatem nempe vulgaris rubri, quam pro rarissima habuit C. BAVHINVS 2). Eius mentionem opinione pauciores visi sunt fecisse, MORISON 3), RAIVS 4), VOLCAMMER 5), TOURNEFORT 6), TILLI 7), VAILLANT 8), & BOERHAAVE 9). SUTHERLANDUS 10), copiosus florum albedine variantium nomenclator, hunc quidem non habet. Ungues flaui sunt, bracteae niueae.

§. V.

uuu) *flor. Jenens.* l.c.
1) MICH. *nov. gen. plant.* p. 147.
2) PIN.
3) H. OXON. II. p. 277.
4) HIST. PLANT. p. 855. syn. III. p. 308.
5) *flor. Noric.* p. 317.
6) IRH.
7) *hort. pisan.* p. 131.
8) *Botan. Paris* p. 156.
9) *ind. alt.* p. 280.
10) Vid. *hort. Edimburg.* p. 260.

§. V.

Pluvia intercesſit diligentiae noſtrae, quae ubi coelo ſereniori excepta fuit, in pratis apricis ſesquileuca cis Oſterodam viae Regiae ſiniſterius adjacentibus, plantulas aliquas perelegantes legimus. Univerſum ſolum tegebatur *Trifolio Lupulino minimo*, quod primus diſtincta icone & deſcriptione ſufficiente adſeruit DILLENIVS. 1) Sed primus id propoſuiſſe videtur THALIVS, cujus veſtigia legendo, non ſine voluptate aliqua plantas haud paucisſimas reſtituere didicimus, quae vt laterent, fecit iconum defectus, deſcriptionum brevitas, ac ipſa ſaepe ubertas congenerum. Deſcribit nempe Trifolium Lupulinum, tum aliud, quod Medicaginis ſpecies eſt, ſed tertium addit, 2) *minus ſuffruticans ferme, viticulis multis exiguis, gracilibus & ſtriatis in terra direptans, quosdam etiam dodrantali altitudine erigens, foliis brevioribus, humani feré cordis (qua nempe figura vulgo pingi ſolet) aliquam ſimilitudinem exprimentibus, ac pulchré ſuis neruis ſtriatis: capitulis florum & racemis ſeminum iisdem cum priori (*Medicagine*) Reperitur in aridioribus pratis, marginibus & ſecus vias.* Sic ille. Folia cordis humani figura & ſtriae foliorum, manifeſto indicant, non eſſe varietatem Medicaginis, cui folia molliora ſubhirſuta neque cordata ſunt. Deinde noſtrum eſſe, ipſe locus natalis indicat in apricis & ſiccioribus hercyniae ſylvae pratis. Quod capitula Medicagini ſimilia faciat THALIVS, videtur ex familiari ſeculo

 illo,

1) *Synops.* III. p. 31. T. XIV. f. 4.
2) hercyn. Saxono-Thuring. p. 124.

illo neglectu minutioris obſervationis factum eſſe. Dignoſcitur a reliquis facile, foliis concinne ſtriatis hilo majori exciſis, capitulo vix ultra novem floſculos habente, ipſa ſtatura humiliori cum duritie tamen et fruticoſa natura coniuncta. Si coniecturae locus eſſet, *Trifolium lupulinum alterum minus, Catal. plant. circa Cantabr.* p. 166. & *Cat. Stirp. Angl.* p. 290. omnino cum hoc noſtro coniungerem. Ea enim RAIVS locis modo citatis dicit omnium Trifoliorum Anglicorum minima eſſe, cum *Trifolium Lupulinum alterum minus in Hiſt. Plant.* 949. & Syn. III. p. 330. caules habere dicat etiam ramoſiores & maiores quam vulgare Lupulinum maius. Verum longe certiora ſynonyma ſunt, *Trifolium luteum Lupulinum minimum* H. OX. 3) SVTHERL. 4) IRH. BVXBAVM, 5) VAILL. 6) *Trifoliaſtrum pratenſe Lupulinum annuum luteum omnium minimum, foliis cordatis, ſiliculis conpreſſis, monoſpermis* MICHEL. 7) *Lupulinum minimum* RVPP 8) & GEMEINHART. 9)

§. VI.

Abundant ea prata inprimis Orchidibus. Inter quas ſolam excitare libuit *Monorchin*, cum altera, quae *odore*

3) II. p. 142.
4) *hort. Edimb.* p. 341.
5) *enum. plant. circa Hal.* p. 325.
6) *Botan. Paris*, p. 96.
7) *nov. gen. plant.* p. 29. Annon huc etiam *Trifolium arvenſe Lupulinum ſupinum minimum ſubluteum folio cordato.* MICHEL. apud TILL. p. 168 ?
8) *flor. Jenenſ.* p. 207.
9) *plant. circa Laub.* 69.

odore hirci minor eſt. MONORCHIS equidem habitu & ſtaminum fabrica Orchis eſt, differt galeae duobus foliis non vt in Orchide ſolent ſimplicibus, ſed ex ſcutulo pallido ſpinulam producentibus 1), defectu calcaris, radice vnica, ſubſtantiae paulo firmioris. Odor ſuauis & melleus eſt. Admiratio ſubit, quando apud C.B. vnicum ſynonymon video CLVSII, 2) cum dubio de alio ſynonymo C. Geſneri. Namque praeterquam quod de C. GESNERI 3) ſtirpe dubium nullum ſit, manifeſte huc pertinet, *Satyrii VII. prima ſpecies in apricis montibus* *TRAGI*. 4) deinde *Triorchides* LOBELIANAE, quibus rotundi bulbi ſunt. & quas nemo mortalium poſt GEMMAM diſtinctas vidit. Sunt hae *Orchis friſia littoralis ſiue triorchis lutea tertia* LOBELII 5) ex qua nata eſt *Orchis Friſia littoralis* LVGDVN. 6) PARKINS 7) AMBROSINI. 8) *Teſticulus luteus*: *Orchis lutea* TABERN. 9) *Orchis*

1) conf. opt. Icon. MICH. pro labello inferiori etiam IOH. BAVHINI.
2) *Orchis puſilla alba odorata* EIVS *Pann.* p. 239. *Orchis VII. hiſtor.* p. 269.
3) *Satyrii ſpecies quam monorchin dixeris* GESN. hort. Germ. p. 279.
4) *herbar.* p. 782. altera vero ſpecies in uliginoſis pratis autumno florens eſt *Orchidaſtrum* MICH. cujus & icon adeſt.
5) *Icon.* 186. icon exterior: folia vero hirſuta valde anomala ſunt. Noſtram eſſe & radicum forma & floris effigies rudior indicat. Ejus autem *Varietas Orchidastrum* videtur.
6) *hiſt. gener.* p. 1560. ic. int.
7) *Theatr. Botan.* p. 1355.
8) *Phytolog.* p. 394.
9) *Icon.* p. 670.

chis lutea hirsuto folio CB. 10) MORIS. 11) *Orchis Frisia* lutea MERRET. 12) *Orchis Frisia hirsuta* IB. 13) RAII 14) *Orchis Frisia hirsuta littoralis Lobelii* CHABR. 15) Deinde huc facit *Orchis minor Leodiensis* LOBEL. 16) AMBROS. 17) ex qua prouenerunt *Triorchis lutea Gemmae* LVGD. 18) *Triorchis lutea altera* CB. 19) RAI. 20) *Triorchis lutea Leodiensis* PARKINSONI. 21) & vti plane videtur, *Triorchis lutea I.* TABERNAEM. 22) Tandem huc etiam referenda est *Triorchis lutea flore luteo sive Basilica minor, serapias & Triorchis Aeginetae* LOBELII. 23) quae eadem est *Triorchis lutea flore luteo Gemmae* LVGDVN. 24) *Triorchis lutea* II. TABERN. 25) *Triorchis*

lutea

10) *Pin.*
11) *H. Oxon.* III. p. 497.
12) *Pin. rer. Brit.* p. 87.
13) *hist. univ* II. p. 769.
14) *hist. Plant.* p. 1717. cum signo ignotas indicante
15) *Sciagraph.* p. 252.
16) *icon.* p. 187. in semine.
17) *phytolog.* p. 394.
18) *hist gener. II.* p. 1561.
19) *Cat. plant. circa Basil.* p. 23. indicata in monte **Wasserfall**, ubi nemo vidit distinctam stirpem a *Monorchide* totius helvetiae familiari planta.
20) *Cat. plant. exter.* p. 193.
21) *Theatr.* p. 1355.
22) *icon.* p. 677. licet paulum a LOBELIANA inmutata sit.
23) *icon.* p. 187. exterior.
24) *hist. gener.* p. 1561.
25) *Icon.* p. 677.

lutea folio glabro CB. 26) MOR. 27) RAI. 28) *Triorchis lutea altera Gemmae folio glabro* PARKINSON 29) Quare non erat, cur quinque nomina noua obrutae iam huius herbulae historiae inferret MENZELIVS 30) neque erat cur in MENZELIO consisteret MICHELIVS 31), ante quem tot fuerant huius Monorchidis descriptores, & inter eos eximius CLVSIVS atque I. BAVHINVS. 32) Alias etiam icones dederunt LOESELIVS 33) & RVPPIVS 34) non optimas tamen, & nomina PARKINS. 35) MORISON, 36) RAI 37) MERRET 38) PLVKNET 39)

26) *Catal. plant. circa Basil.* p. 23. circa arcem *Birseck*, vbi a nemine hucusque alia reperta est, & *Pin.*

27) *H. ox.* III. 497.

28) *Catal. plant. extr. Brit.* p. 193. & *Hist. Plant.* p. 1217. cum signo indicante sibi ignotam fuisse.

29) *Theatr. Bot.* p. 1355.

30) *Pugill. stirp. rar. post Lexicon*, cum figuris mediocribus Tab. V. Eadem exstant etiam apud RAIVM p. 1216. 1217. & MOR. III. p. 497.

31) in ejus historia novo nomine proposita *nov. gen. plant.* p. 30.

32) cui est *Orchis parva autumnalis lutea* II. 768.

33) *Orchis coleo vnico seu monorchis flosculis pallidè viridibus flor. pruss.* p. 154. Icon n. 61. an huc etiam referenda *Ophris monophyllos bulbosa* id. p. 180. & Ic. 57 ?

34) *Flor. Jenens.* T. II.

35) *Orchis pusilla odorata Theatr.* p. 1354.

36) *Orchis odorata moschata, sive monorchis* H. ox. III. p. 499. quo nomine & CB. & AMBROSINVS vsi fuerant.

37) *Hist. plant.* p. 1217. eod. nomine & Syn. III. p. 378. in *Cat. stirp. Angl.* p. 217. nomine PARKINS utitur.

38) *Pin. rer. brit.* p. 87. eodem.

39)SCHEVCHZER 40) vt mirabile fit longe magis, quod omiſſa ſit a TOVRNEFORTIO, Galliae forte non indigena. Nomen antiquum *Monorchis* efficax & breve videtur, neque mallem illud HERMINII quod inpoſuit CL. LINNAEVS 41)

§. VII.

Paulo propius ſpeculam ſed in eodem prato, ſicciori tamen loco, naſcitur frequens *Orchis odore hirci minor*, cui *Folia* anguſta cauli adpreſſa, *ſpica* florum laxa odore cimicum, *Cucullus* ita arctus vt trifolium eſſe iurares, colore aut viridi aut obſolete purpureo, aut miſto ex vtroque, cum lineis ſaturatioribus: Duo Petala acutiora latent inter reliqua: *Apices* pallidi; *Barba* trifida ad ouarium reflexa, ſegmentis lateralibus vno alteroue dente inſignibus, medio mucronato, viridis aut ex purpureo virens, punctis in medio rictu purpureis. *Calcar* purpureum parallelum ouario. Hanc ſpeciem num DODONAEVS a) atque CLVSIVS b) deſcri-

39) *Almag. Bot.* p. 271. nomine CB.
40) eod. It. VII. p. 516. cum charactere.
41) *Flor. Lapon.* n. 317.
a) *Minores teſticuli hujus generis* 4. (nempe Morionum) DOD. *pl. Coron.* p. 216. & *Pemptad.* p. 236. videtur ex colore vario, odore ingrato, & quod vix alia Orchis ſit, cui hae voces DOD. tribui poſſint.
b) Pro *Orchide* VI. *Hiſtor.* p. 268. Convenit odor; ſed color, & ſpica arcta, non admodum reſpondent. Coniunxit tamen VAILLANTIVS. Natae ſunt ex ſtirpe CLVSII

ſcripſerint, non ſatis liquet; de LOBELIO c) vero res extra controuerſiam eſt, cuius prima Icon, neque mala eſt, habitu etiam reflexo expreſſo, licet TABERNAEMONTANI d) figura etiam magis placeat. VAILLANTIVS e) non niſi flores dedit. Deſcriptio praeſtantiſſima eſt RAII f) Caeterum LVGDVNENSES g) CASPAR BAVHINVS, h) IOH. BAVHINVS, i) CHABRAEVS, k) PARKINSONVS, l) AMBROSINVS. m) MORISONVS n) NYLAND o), MAGNOL, p) TOVRNEFORTIVS,

SII, *Orchis odore hirci minor ſpica purpuraſcente* CB. IRH. *ſpica purpurea H. OXON.* III. p. 492. *Orchis Batavica* IB. II. 764. CHABR. p. 250. *Tragorchis batavica Cluſii* PARK 1049.

c) *Tragorchis minor & verior C. Gemmae ſ. coriosmites & Coriophora flore inſtar cimicum* LOBEL. Ic. p. 177.

d) *Teſticulus hircinus III. minor. Icon. omn. ſtirp.* p. 672.

e) *Bot. Paris* T. XXXI. f. 30. 31. 32. absque nomine. Idem nomine a CB. adcepto deſcribit *Bot. Par.* p. 149. & varietatem addit *flore ſubviridi.*

f) *Hiſtor. plant.* p. 1213. *Tragorchis minor flore fuliginoſo.*

g) *Tragorchis minor & verior Gemmae* LVGD. 1557.

h) *Orchis hirci odore minor* PIN.

i) *Tragorchis minor flore fuliginoſo II. p.* 764.

k) *Sciagraph.* p. 250. eodem nomine.

l) *Tragorchis minor & verior Theatr.* p. 1349.

m) nomine C. B. *Phytol. p.* 392.

n) eodem H. OXON. III. p. 491. S. XII. T. 12. f. 10.

o) *kleene Bockskullekens nederl. kruytb.* p. 279.

p) *Bot. Monspel.* p. 192. H. R. M. p. 149. nomine C. B.

TIVS. q) PLVKNET, r) DILLENIVS, s) RVPPIVS, t) LINDERVS u) BVXBAVMIVS, x) TILLIVS, y) ERNDTELIVS, z) &c. eius meminerunt, & hi fere in industria priorum adquieuerunt.

§. IIX.

Ad asperas rupes, quae ea prata finiunt, frequens est *Turritis minor*, quae & ipsa videtur descripta a THALIO, a) nomine *Pilosellae siliquatae maioris.* Adcedit locus natalis in aridis, folia ad terram longa & aspera, siliquae & flores. Id vnum non respondet, quod caulem foliis pene carere dicat. Et eo videtur respicere icon b) D. quam CAMERARIVS *minori speciei* adtribuit. Prima a THALIO descriptio est I. BAVHINI,

q) *Hist. des Pl. aut. de Par.* 508. IRH. eodem.
r) *Orchis foetida III. s. hirci odore minor. Almag. Bot.* p. 271. quo & RAI *Catal. stirp. Ext.* p. 191.
s) *Cat. Plant. circa Giess. nasc.* p. 85. nomine C. B.
t) *Flor. Jenens.* p. 239.
u) *Tournef. Alsat.* p. 44.
x) *Enumer. plant. circa Hal. nasc.* p. 242.
y) *Hort. Pisan.* p. 124.
z) *Virid. Warsav.* p. 85.
a) p. 84. neque videtur hanc praeteruidere potuisse. Stirpem THALIANAM peculiarem facit C. BAVHINVS, dicitque *Bursae pastoris similem siliquosam maiorem seu maioribus foliis* & conjungit *Aizoon Telephium* LVGD. p. 1131. cuius icon mala est, descriptio non recedit. Inter stirpes CB. nulla planta reperta est hoc nomine insignita.
b) *ic.* VII. post *Thal.*

HINI. c) Eadem macilenta tota obducit *Lichen in Alpibus* etiam visus, cui expansio est nigricans, tuberculosa, aliquando in sphaerulas ex cyaneo atras congesta, per quam denso ordine sparguntur scuta magna, variae figurae, rufa, in quibus frequentia puncta nigra absque lente conspicua. Pertinet omnino ad ordinem MICHELI xxxvi. qui adeo adfinis est *Lichen-Agaricis* & inprimis *disci formi punctato nigro*, qui in ligno arescente reperitur, vt diuersitatem exhibere non sit facillimum. An *Lichen pulmonarius saxatilis minimus fuluus foliis pulposis* MICHEL. d)

§. IX.

Supra OSTERODAM syluae incipiunt ex Abiete rubra, altae & late patentes. In iis adcliuibus locis, & vbi arbores excisae sunt, *Digitalis purpurea*, & *Chamaenerium vulgare latifolium* vbique nascuntur speciosa pulchritudine. Ad humecta vero viarum, frequens est per omnes *hercyniae* syluas *Cardamine annua exiguo flore*, quam THALIVS nomine *Nasturtii montani maioris* 1) primus descripsit, nisi eadem fuerit *Cardamine Alpina media* CLVSII, 2) quae tamen, cum folia dicatur habere hirsuta & aspera, non penitus respondet. Atque consimilibus locis prouenit *Cardamine IV. Dalechampii* 3)

C 3 filiquis

c) *Herba S. Alberti Barbarea muralis, de plant. a Divis nomen hab.* p. 9.

d) O. xxxvi. p. 107. n. 2.

1) *Hercyn. Saxonothur.* p. 79. Icon non mala I. BAVHINI.

2) PANNON. p. 455. absque icone.

3) quae omnino videtur primum etiam proponi a THALIO,

ſiliquis, ſemine, flore, ſimillima, ſed caule & foliis hirſutis, foliis praeterea imis integris, ſuperioribus non eleganter tridentatis, vt in priori, ſed vagis, atque vage inciſis, pinnis rarius ad pediculos confluentibus. Vulgare etiam hic eſt *Equiſetum ſyluaticum tenuiſſimis ſetis*: Tum *Melampyrum montanum floribus minoribus flauis*. Hoc primum a BVRSERO 4) dictum videtur, nomine *Melampyri parui Alpini*, id enim locus natalis indicare videtur, cum in Iuraſſi & alpium inferiorum ſyluis, & vniuerſa Hercynia frequens ſit. Idem videtur *Melampyrum latifolium floribus paruis luteis* CELSII apud LINNAEVM. 5) Hanc ſtirpem pro varietate *Melampyri vulgaris* habet amiciſſimus LINNAEVS. Verum proportio diuerſiſſima contrarium videtur indicare. Eſt noſtro habitus ramoſior, folia magis nutantia, floris hiatus magis patulus, flos tandem vniuerſus altero tanto minor, in ſtirpe etiam proceriore quam eſt vulgare, & aequabili flauo colore tinctus, qui in vulgari albus eſt rictu flauo. Quod autem noui generis loco ſit propoſita olim a nobis, viſum eſt hic rationem indicare. Quum in ſyluis Iuraſſi verſus autumnum anni 1734. copioſe id legerem, manifeſto vidi labium inferius trifidum eſſe tribus nempe profundis dentibus inciſum. Verum *Melampyri* Character

ſub *tertia ſpecie ſiſymbrii aquatici* p. 107. quod jam ſuſpicatus eſt I. BAVHINVS. Icon elegans pro parvo ſpecimine CAMERARII EPIT. p. 270. pro *Sio Aquatico altero.*

4) ACT. SVECIC. ann. 1724. p. 508.

5) *Flor. Lapon.* p. 240.

racter a TOVRNEFORTIO, 6) RAIO, 7) BOERHAEVIO, 8) KNAVTIO, 9) ita erat constitutus, vt labium inferius integrum pro maxima distinctionis nota adesset. Quare existimaui, nactum me esse haud obscuram diuersitatis notam, donec sequente aestate, sed emissa iam irreuocabili schedula, comperii, omnia nostra Melampyra eodem modo labium inferius habere tridentatum, manifestius quidem hoc & vulgatius *latifolium luteum*, & *violaceum*, quod & RIVINI Iconibus exprimitur, 10) obscurius illud *coma purpurascente*, 11) verum & id satis etiam manifesto. Quare nouo argumento didici, nunquam alienis oculis videndum esse, nunquam praecipitandas obseruationes, quae a serioribus annis maturitatem in vsus publicos exspectant.

§. X.

Frequens in iisdem syluis omnibus est *Dentaria heptaphyllos baccifera*, quam vbique fere floribus atque siliquis absque vlla sobolis generatione marcescentibus offendi, baccis vero ex aliquot acinis conpactis ad alas foliorum sedentibus. Quae planta quoties superior scapus absque

6) IRH. p. 173. & icon. Characterist. T. 78. D.
7) *Method. plant.* p. 91.
8) *Ind. alt.* p. 236.
9) *Meth. genuin.* p. 108.
10) *monop. Irreg.*
11) cui labium inferius integrum pingitur a TOVRNEFORTIO l. c. & RIVINO.

absque foliis imis pinnatis decerpitur, fit iconi ſimilis, quam pro *Coralloidis alia ſpecie* videmus apud CORDVM, 1) & pro *Dentaria anguſtifolia baccifera* peculiari apud BESLER. *Hort. Eyſt.* 2) Ex qua nata eſt ſpuria ſpecies, *Dentaria baccifera foliis Ptarmicae* CB. repetita ſed cum aſteriſco a RAIO. 3) Obiter etiam notamus in icone, quae a KENTMANNO communicata, adeſt in CORDO pro *Coralloide,* 4) male baccas omiſſas eſſe foliaque terna depicta; DODONAEVM 5) vero ſtirpem CORDI, quae certo noſtra eſt, cum *pentaphylla,* & *heptaphylla* minus recte coniunxiſſe! Heluetia enim, vbi plurima naſcitur *quinquefolia & ſeptifolia* DODONAEI, caret baccifera, cuius in vniuerſum habitus multo eſt minor & tenerior, & ſiliquae, ſi quidem perficiuntur, exiliores.

§. XI.

Sylvas vbi reliquimus, iam proximi oppido CLAVSTHAL, prata humecta offendimus, in quibus immenſa erat vis ſtirpis, quae inſolita ſpecie oculos perſtrinxit, quam ipſam ſequentibus diebus frequentiſſimam ad riuulum *die Innerſte* prope opera metallica, & denuo GOSLARIAE, ſemper ad aquas vidimus. Radices erant graciles, repentes albae, *Caules,* alias erecti, procumbebant

1) *Hiſt.* Plant. L. *II.* c. *CXI.*
2) *Aeſt. Ord.* VII. *tab.* 12. *fig.* 2.
3) *Hiſt. plant.* p. 785.
4) l. c.
5) *Pempt.* *II.* L. I. c. 7.

bebant saepe admodum ramosi, glabri caeterum, teretes & striati. *Folia* virentia varia, ima subrotunda, angulosa, paucis dentibus incisa, subhirsuta: haec ex radice ante natum caulem, & ad laterales stolones. In imo caule alia, *Barbareae* foliis adfinia, praeter bracteam latam sinuatam recipientia aliquot graciles pinnas ad pedunculum eumdem, haec glabra. Superiora denique glabra, sature virentia, ambitu dentato: vltima integra. *Flores* copiosi ad summos ramos non adpressi caulibus, sed vagi magis. *Calyx* quadrifolius, pallens, minor petalis. *Petala* quatuor subrotunda lactea. *Siliquae* sparsae & a caule recedentes, vnciales & vltra, seminibus increscentibus distinctae, vt pene articulatae videantur. Quae cum viderem, a *Turritide vulgari ramosa*, cuius fere faciem prae se fert, distinxi facile, foliis & flore maiori: *A Leucoio verno perenni albo*, cui adfinis videbatur aliquo modo, foliis glabris & pinnatis tenuibus. In scriptis Botanicorum duae obuiae sunt stirpes nostrae similes. Altera, *Thlaspios generibus cognata planta* THALII, 1) cui coniungo *Nasturtium montanum* SCHWENKFELDI 2) *Nasturtium Barbareae foliis* C. BAVHINI 3) PARKINSONI 4) RAII, 5) *Nasturtium Alpinum Barbareae foliis* BVRSERI apud C. BAVHINVM, 6)

1) *Hercyn.* p. 122.
2) *Stirp. Siles.* p. 145.
3) *Pin.*
4) *Theatr. Bot.* p. 828.
5) *Catal. stirp. extra Brit.* p. 188. *Hist. plant.* p. 817. cum Asterisco.

HINVM. 6) Atque de hac *Thaliana*, omissa a recentioribus, neque visa RVPPIO, DILLENIO, LOESELIO &c. dubium nullum erat, quin ipsa stirps nostra esset. Verum in recentioribus scriptis offendi *Turritidem minorem foliosam* PETIVERI apud RAIVM, 7) quae foliis imis hirsutis, superioribus glabris, siliquis a caule abscedentibus, nostrae satis videbatur adfinis. Sed Icon *Brassicae spuriae exilis hirsutioris subrotundis foliis caule magis folioso* PLVKNETI 8) admodum a nostra recedit, foliis rotunde dentatis, & habitu erecto, ita vt si adiungas hirsutiem, similior sit *Turritidi minori*. Quare cum *Nasturtii* nomen ferri non possit, *Sisymbrii* nomine insigniendam existimaui, quo *Turritis vulgaris ramosa* ob sparsas siliquas referenda videtur. Licet, vt veram fatear, limites *Leucoii*, *Hesperidis*, *Sisymbrii*, *Erysimi* & *Erucae*, non ita constituti videantur, vt certas distinctionis notas subpeditent. Dixi itaque *Sisymbrium palustre album, foliis imis Barbareae, reliquis integris dentatis.*

XII.

In iisdem elatioribus, sed humidis tamen pratis frequens nascitur ARNICA, quam in fasciculos colligatam sub fenestris aedium ubique per syluam hercyniam siccari vidimus. Semiflosculi in ea semen habent pappo coronatum, quare a *Doronici* genere ad *Solidaginem* remota est a VAILLANTIO, 1) & eamdem ob

6) *Prodr.* p. 45. ex *Austria.*
7) *Synops.* p. 294.
8) *Almag. Botan.* p. 70. & T. 80. f. 2.
1) *Solidago foliis oblongis neruosis plerumque coniugatis Memoir. de l'Acad. des sc.* 1720. p. m. 380.

ob rationem in proprium genus constituta ARNICAE nomine a Cl. MOEHRINGIO. 2) Quae eadem ratio *Doronicum latifolium magno flore* iunget *Solidagini*, contra quam visum est VAILLANTIO, 3) vti repetito in Alpibus Helueticis obseruaui. In hac stirpe a CLVSIO & IOHANNE BAVHINO, quod rarissime fit, & a LINNAEO dissentire cogimur, qui omnes duas faciunt huius stirpis species. Et CLVSIVS quidem, in *Pannonicis* proponit *Doronicum Austriacum IIII.* 4) caule in summa parte ramoso, foliis plantagineis modice acuminatis, idque coniungit cum stirpe SIMLERI, 5) *Muttervvurz* dicta, in Heluetiae alpinis & subalpinis pratis frequente. Idem in magno opere, iconem eamdem pro *Doronico Pannonico VI.* 6) cum alia descriptione ponit, descriptioni vero Austriaci quarti, nouam addit iconem, folia exprimentem acutiora, atque florem vnicum, altero tamen ex ala folii subnascente. In quibus euidens est, optimum Virum non satis sibi constare: Hoc etiam caput cum festinatione aliqua scriptum esse, vel inde adparet, quod sub finem *Quar-*

 tum

2) *hort. priuat.* p. 106.

3) l. c. p. 390.

4) *Pannon.* p. 520. & ic. p. 522. vt absque iusta ratione moneat I. BAVHINVS alienam iconem *Doronici* serrati adpositam esse, ea enim ad III. spectat, ipso titulo id indicante.

5) *de Vales. & Alp.* p. 333. quae tamen omnia ex ARETII, ciuis mei, Itinere per *Stockhorn* & *Nessum* montes exscripta sunt, ex p. 234. b. apud CORDVM editionis GESNERIANAE.

6) *Histor. Plant.* p. XVIII.

tum Doronicum 7) cum SIMLERI ſtirpe coniungat, quod nempe quartum fuerat in Pannonicis, in hiſtoria num quintum an ſextum ſit, non ſatis liquet, quartum certe non eſt.

IOHANNES BAVHINVS deſcriptionem *Doronici Quarti in Pannonicis*, & V. in *hiſtoria*, recenſet ſub titulo *Doronici Germanici foliis binis ex aduerſo naſcentibus villoſis.* 8) Doronicum vero nouum Pannonicum VI. cum ſtirpe MATTHIOLI & omnium Auctorum coniungit, nomenque facit *Alismatis Matthioli ſiue Plantaginis montanae.* 9) Vbi liquido adparet, a ſtirpe MATTHIOLI & aliorum ſcriptorum, male ſeparari *Doronicum Quintum* CLVSII in hiſtoria, (vt quod in Auſtria, Francofurti & in Belgicae montanis naſci teſtatur CLVSIVS) & coniungi cum ſtirpe peculiari, Hungarica. DALEVS certe ita ſecutus eſt CLVSIVM & IOH. BAVHINVM, vt *Doronicum germanicum & Arnicam officinarum* 10) ſuſpectum habeat naturae venenatae; *Alisma* 11) vero officinarum pro egregio vulnerario laudet, excitatis locis in EPHEMERIDIBVS NAT. CVR. 12) manifeſto de Arnica agentibus. Cl. LINNAEVS vltimo loco cauſam egit CLVSII & IOHANNIS BAVHINI, & duas ſtirpes fecit aliam monanthon, 13) foliis acutis, quam *Doronicum foliis lanceolatis* vocat, & coniungit cum

7) p. XIX.
8) *Hiſt. Vniv.* III. L. XXV. p. 19.
9) *ibid.* p. 20.
10) *Pharmacolog. ſuppl.* p. 51.
11) *ibid.*
12) FEHR. *Dec.* I. *Ann.* IX, & X. *Ob.* 11. cum ſc.
13) *Flor. Lapon.* 305.

cum Alismate IOH. BAVHINI, & cum *Doronico VI. Clusii*, sed praeterea cum eodem Doronico IIII. in *Pannonicis* quod in *historia* V. est. Aliam vero speciem facit polyanthon foliis obtusioribus, quam dicit *Doronicum foliis oblongo oualibus*, 14) eamque absque CLVSIANO synonymo cum stirpe MATTHIOLI 15) SCHEVCHZERI 16), RVPPII 17) cum Arnica nempe officinarum coniungit. Qua in re vim infert optimus LINNAEVS CLVSIO, qui Doronicum suum V. *Germanicum* nunquam monanthon descripsit, sed ramis aliquot in summitate, neque depinxit etiam. Deinde CLVSIANVM *germanicum in Austria, Belgio & Francofurti* nascens auellit a stirpe vulgata Germaniae RVPPIO, SCHROEDERO, MATTHIOLO & SCHEVCHZERO dicta, & peculiarem facit summarum alpium. Videtur omnino CLVSIANA enarratio confusionis habere aliquid, *Iohannes* vero BAVHINVS stirpem V. CLVS. *in histor.* exscripsisse sibi non cognitam; & plantam ramosam sibi visam, cum ramosa etiam VI. CLVSII pro distincta posuisse. Neque enim facile stirpes multiplicat, nisi quando post alios loquitur. LINNAEVS tandem varietates duas ante oculum habuit. Nos ipsi in *Gotthardo* M. & *Valle Vrserana* Doronicum vidimus monanthon, foliis ad caulem aut minimis aut nullis, humile, foliis acutis asperioribus. In humilioribus vero *Vallis Haseliae*, & in sylua hercynia, Doronicum caule ramoso folioso multifloro, fo-

D 3 liis

14) *Flor. Lapon.* 304.
15) *Alisma*, ed. 1565. p. 933. 934.
16) *It.* I. p. 36. cum nomine CB.
17) *Flor. Ienens.* p. 141.

liis mollioribus obtusis, plantagineis. Sed facillime per omnes intermedios 18) gradus demonstrare possumus, eamdem esse stirpem quae in editis & frigidioribus vti fieri solet, aliam faciem induit ab ea, quam in riguis vallibus prae se fert. Quare cum CASPARE BAVHINO & VAILLANTIO, vtramque stirpem CLVSII coniungendam esse censemus, & vtramque praeterea LINNAEI, in admittendis varietatibus alioquin non facilis Botanici.

§. XIII.

Vberrime in eisdem pratis prouenit *Bistorta*, quam ab omni aeuo in duas species distinxerunt, praeeunte iam ciue nostro BRVNFELSIO: 1) atque ita definiuerunt, vt alia radice magis conplicata, folio vero planiori esset, qualis est icon CAMERARII 2) alia vero radice minus intorta folio vero rugoso & sinuato qualem pulchre expressit DODONAEVS. 3) Verum quando Bistortae exemplaria ex *Iurasso*, ex *Alpibus* variis, ex humidis ditionis *Bernensis*, ex *Bructero* & *sylua hercynia*, vario loco

18) Aliquando enim Alpina specimina biflora aut triflora sunt, alias in humilioribus vallibus nascuntur uniflora. Folia etiam omnia neruosa, acumen per infinitos gradis variabile habent.

1) Foliis rugosis *Naterwurz das männlein* I. p. 62. foliis vero planis *icon prior* p. 61. absque nomine.

2) ex GESNERIANIS *Epit.* p. 683. descriptio vero sinuata habet.

3) *Hist. Plant.-Pempt.* III. L. I. c. IX. p. 332. bene, qua icone usus est LOBELIVS *Icon.* p. 292.

loco & tempore lecta confero, fateor, me quidem veram diuerſitatem non reperire. Folia alias plana, ampliſſima & pedalia, exigua alias & plicata. Radix aut recta aut ſemel, bis, ter intorta, ſtatura denique variant. Sed ita, vt alias plana folia cum 4) ſimplici radice (in BRVCTERO M.) alias folia ſinuata cum radice ter intorta viſa ſint. 5) Quare valde vellem veras & interiores diuerſitatis huius notas edoceri.

§. XIV.

Altera die obiuimus operas metallicas, atque in pratis circa CLAUS FHALIAM, praeter *Violam tricolorem repentem*, frequens vidimus GERANIVM, de quo dudum multa fuit nobis dubitatio. Habitus ipſi eſt pene qui *fuſci*, foliis ſemper in lobos ad dimidium ſectis, nunquam ad pedunculum vſque, *floribus* binatis, *calyce* glabro, aut ſubhirſuto, aut hirſutiſſimo, magna enim varietas etiam in eodem ſpecimine eſt: *Petalis* ambitu rotundo, purpureis perpetuo ſed vel obſoletis magis, vel ſaturatioribus, nunquam coeruleis, picta lineis aliquot tinctioribus, vmbilico albo; *Staminum* apices cyanei ſunt; *Tubae* reflexae fiſſae purpureae, *Capſulae* monoſpermae vna cum roſtris hirſutae. Hanc ſpeciem in vniuerſa heluetia vidi, nempe ad *Birſam*, & *Suzam* in valle *Delemontana* & *S. Imier*, prope *Bernam* in prato quodam adiacenti balneo exteriori, in *Argouiae* ſepibus vdis, in M. *Boezberg* ſupra *Brugam*, in ſubalpinis ad *Thermas Leu-*

cenſes,

4) qualis fere eſt Icon prior BRVNFELS Ic. p. 61.

5) qualis icon eſt MATTHIOLI p. 946.

censes, in montanis circa *Canderſteg.* Deinde in omni ſylua hercynia in pratis, & *Gottingae* in prato inter ſyluas *Heimbolz* & *Gottingerholz* vberrime. Francofurto idem etiam miſit D. D. SENKENBERG, ſemper ex loco paluſtri, & humecto. Vt facile adpareat, vulgarem & late naſcentem ſtirpem eſſe. Quo magis mirum videri poſſit, difficillime eam extricari, atque ab adfinibus diſtingui poſſe. Ab eo quidem quod *Gratia Dei germanorum* dicitur. 1) diſtinguitur facile foliis ſimplicioribus, non ad pediculum adeo ſectis, floribus neque coeruleis, neque pictis, minoribus denique. Loci certe natalis ratio efficit, vt neceſſario huc pertineat *Geranium batrachioides Dodonaei flore purpureo magno* THALII. 2) *Geranii tertia ſpecies ſimilis montanae* GESNERI, 3) quam cum biſtorta frequentem naſci dicit, & *Geranii montani ſpecies foliis aſperioribus* quae *mas eiusd. in append.* 4) (ibi vero prior ſpecies, qua haec *mas* aſperior eſſe dicitur, videtur ad *Geranium phaeum ſiue fuſcum* 5) referri debere) *Gera-*

1) In *helvetia* hoc ſponte naſci, & CB. in *Baſil. catal.* p. 89. & IB. III. p. 476. adfirmant. Nobis nunquam ſpontaneum viſum eſt. Quare cum Fratres optimi hoc in Helvetia ponant, dubitare licet, an non idem Ipſi viderint quod nos adeo frequens inuenimus.

2) p. 44. loco natali eodem. vidit & *albo* flore.

3) *hort. Germ.* p. 260. in pratis vdis cum Biſtorta.

4) *app.* p. 292. 6. hoc DILLENIVS in *Hort. Eltham.* ad ſuum *paluſtre flore ſanguineo* refert.

5) quod foliis eſt hirſutis & ſimillimis noſtro, ſed minus aſperis, neque omitti potuit a GESNERO, cum in Heluetia non ſit infrequens.

Geranium alpinum SCHWENKFELD 6); *Geranium Batrachioides paruo flore* BVRS. *act. Suecic.* p. 532. ex syluis *Heluetiae*; *Geranium batrachioides maximum minus laciniatum folio Aconiti* IOH. BAVHINI 7), SCHEVCHZERI 8) forte & reliquorum. *Gruinalis pratensis maxima folio aconiti minus profunde laciniato* RVPPII. 9); *Geranium Batrachioides montanum* RAI 10) & *montanum nostras* 11) eiusdem, cuius etiam descriptio simillima. Neque videtur fieri posse vt diuersum sit *Geranium Batrachioides alterum* 12) CLVSII, cuius & icon & descriptio conuenit, cum praeterea vix potuerit nostrum effugisse notitiam diligentissimi viri. Verum inde deducta sunt synonyma multa, quorum aliqua vix videntur admitti

(6) *Stirp. Siles.* p. 86.

(7) qui & ipse cum Bistorta nasci dicit & descriptionem exhibet simillimam. Ex eo habet CHABRAEVS. p. 487. Monere debemus quod I. BAVHINVS Clusianam stirpem nunquam viderit, quare sibi obseruatam pro noua proposuit absque synonymo.

(8) *It. Alp.* p. 512. plane ex eisdem pratis, ubi nostram, & ego & I. GESNERVS, & HVBERVS noster saepe legimus.

(9) *Flor. Ienens.* p. 103.

(10) *Cat. Stirp. Angl.* p. 129.

(11) *Hist. Stirp.* p. 1062. optima descriptio, & *Synops.* III. p. 361. Stirpem suam in *Historia* cum dubii signo, in *synopsi* iam certior coniungit cum CLVSIANA. Ex eo MILLERVS.

(12) *Pannon.* p. 417. & *histor.* p. IC. &. C. Icon equidem folia habet profunda & fere ad pedunculum divisa, quod & RAII dubium fuit. Sed locus natalis alpinus & floris color & foliorum ratio reliqua conueniunt.

mitti posse. Huc nempe *Geranium batrachioides rubrum minus* CAMERAR. 13) Forte & IIII. eiusdem. 14); *Geranium sanguinarium* TABERNAEMONTANI 15); *Geranium Batrachioides aliud folio Aconiti nitente* I. BAVHINI 16); *Geranium Batrachioides maximum folio Aconiti nitente* CHABRAEI. 17) *Geranium Batrachioides aliud* I. BAVH. 18); *Geranium Batrachioides minus* PARK. 19) *Geranium Batrachioides folio Aconiti* MORISONI 20); & forte multorum aliorum, de quibus minus certos esse licet. Sed miscet hic C. BAVHINVS 21) cum stirpe CLVSII exquisitis verbis excludentis coeruleum colorem, varietates flore coeruleo, & coeruleo & albo, sicque suspicionem mouet haud leuem, ipsum non satis a *Gratia Dei Germanorum* hoc nostrum distinxisse. Quare neque C. BAVHINI neque TOVRNEFORTII 22) neque RVPPII 23) neque TILLII 24) neque LINNAEI 25) stirpem ad

(13) *Hort. Med. Phil.* p. 66.
(14) in *Epit.* p. 602. exhibitum pro Gratia Dei, sed foliis parum diuisis nostro propius.
(15) *Icon* p. 62. fere ad CLVSIANAM.
(16) III. p. 476. plane ex Clusio, nulla sua obseruatione.
(17) p. 487.
(18) *Font. Boll.* p. 206.
(19) *Theatr.* p. 704.
(20) *H. oxon.* II. p. 514. ex CLVS. nomine CB.
(21) *Geranium Batrachioides folio Aconiti Pin.*
(22) IRH. eodem nomine.
(23) *Gruinalis pratensis foliis Aconiti Ranunculiue, flor. Ienens.* p. 103.
(24) *hort. Pisan.* p. 66.
(25) *Geranium petiolis bifloris, foliis peltatis multifloris, caule erecto*

ad noſtram referre ullo modo poſſumus, qui omnes eamdem tamen CLVSII ſtirpem ſuae coniungunt. Tandem & id fateri debemus, nullas nos habere notas ſatis euidentes, quibus a noſtro ſeparemus *Geranium paluſtre flore ſanguineo* DILLENII 26) VOLCAMERI, 27) HOFMANNI, 28) Calyx enim & capſulae glabrae non videntur ſufficere, radix, folia & flos & locus natalis conueniunt. Cogimur ergo ab eruditis quaerere, primo, An detur *Geranium Batrachioides folio Aconiti coeruleo flore*, diuerſum a *Gratia Dei* quod & a noſtro diuerſum dici queat; deinde, qua ratione a noſtra diuerſa ſit ſtirps DILLENII.

§. XV.

In cliuis ſterilibus & lapidoſis, qui fluuiolo *die innerſte* inminent, & ad arenoſa viarum prope aceruos lapidum tritorum, qui metallo omni iam priuati ſunt, tum *Goslariae* ſimilibus locis, magnus prouentus eſt *Alſines ſaxatilis & multiflorae capillaceo folio*. Hanc primus,

E 2 ſed

erecto, flor. Lap. 266. ponit colorem ordinarium coeruleum, & admittit varietates ex albo, neque minus coniungit ſuam cum CLVSIANA & RAIANA ſtirpe.

(26) *Hort. Eltham.* p. 160. T. 134. *Geranium Geranii haematodis folio & facie* C. G. *nov. ſp.* p. 55.

(27) *Flor. Noric.* p. 186.

(28) *Delic. ſylv. Flor. Altdorff.* Reliqua ſynonyma a noſtro non recedunt, uti icon *Geranii ſanguinarii maioris* H. EYSTETT. *Cl. Vern. Ord. herb.* I. T. IX. f. 2. & aliud GESNERI. CLVSIANVM vero *haematodes alterum* omnino aliud videtur a Batrachioide altero, *Pann.* p. 422. & *hiſtor.* p. CII.

ſed breuiſſime, deſcripſit THALIVS, 1) & dixit *Alſines minoris aliam adhuc ſpeciem.* BARRELERIVS, 2) iconem dedit *Anthyllidis Lychnitis annuae ſeu minoris anguſti foliae flore albo,* quae noſtram ſatis bene exprimit. HERMANNVS 3) *Alſinen glabram tenuiſſimis foliis floribus albis* vocauit, aliamque dedit Iconem. Tertiam PLVKNETIVS, 4) ſed minus laudabilem, dixitque *Alſinen caryophylloiden tenuifoliam flore albo punctato.* Quartam MAGNOL 5) ſed absque flore, cui eſt *Alſine Saxatilis Laricis folio minor & minori flore.* Quintam & perfectiſſinam VAILLANTIVS, 6) *Alſines ſaxatilis & multiflorae capillaceo folio* nomine, quo & TOVRNEFORTIVS 7) & GARIDELLVS 8) vſi ſunt. Alia etiam nomina habent 9) RAIVS, BOCCONE 10) TOVRNEFORTIVS, 11)

(1) p. 11. *lin. penult.*

(2) *Stirp. Gall. Hiſpan. Ital. ic.* 580.

(3) *Parad. Batav.* p. 12. bene.

(4) *Almag. Botan.* p. 22. & T. 7. f. 3. inde RAI. III. p. 498.

(5) *Hort. Reg. Monſp.* p. 11. & ic. eo nomine uſus eſt TOVRN. in IRH. TILL. *hort. Piſ.* p. 8. & ipſe MAGNOL *Nov. Char.* p. 259.

(6) *Botan. Paris.* T. II. f. 3.

(7) IRH.

(8) *hiſt. des plant. aut. d' Aix.* p. 25.

(9) *Alſine puſilla pulchro flore tenuisſimo noſtras ſeu ſaxifraga caryophylloides puſilla flore albo punctato Hiſt. plant.* p. 1033. *ſyn.* III. p. 350.

(10) *Plant. ex ſicil.* p. 22. *Tab.* 12. *Alſine Bononienſis non aculeata*, iuxta VAILLANTIVM, verum icon vix adgnoſcitur, neque noſtra planta, etiam ſenex, aculeata eſt, neque fo-

VS, 11) SCHEVCHZER, 12) DILLENIVS 13). Differt elegans haec plantula ab *Alſine tenuifolia* I. BAVHINI 14) flore maiore, caule magis ramoſo, & ramis adeo frequentibus, vt iuniorum foliolorum copia, non foliorum coniugatorum adeo, ſed multiplici penicillo congeſtorum ſpeciem prae ſe ferat. Ab *Alſine Alpina iunceo folio* C. BAVHINI. ſiue *Auricula muris tenuiſſimo folio pulchro flore* IOH. BAVH. 15) flore longe minore, foliis breuioribus minus rigidis & minus congeſtis. *A Tunica Alpina* BVRSERI 16) toto habitu & charactere, ea enim ſtirps ad Knawel ad cedit alio loco dicenda.

§. XVI.

Sub *Cellerfelda*, in ſyluis quae ſupra *Goslariam* ſunt, & in omni Hercynia ſylua, frequens eſt Filicina planta, in peculiaribus cauliculis ad propria folia ſemen ferens

 quam

lia habent latitudinem qua pinguntur apud AMBROS (quem pungere videtur BOCCONE) nomine *Alſines ſpinoſae minimae montanae Phytol.* p. 17.

11) ex BOCCONE.

12) *Alſine Alpina minima glabra It. Alp.* II. p. 129. quod nomen C. BAVHINVS diuerſiſſimae ſtirpi inpoſuerat, *Lychnidi* nempe *ſaxifragae alpinae glabrae pumilae* PLVKNETI.

13) *Spergula Caryophylloides tenuifolia Catal. Plant. circa Gieſſ.* p. 58.

14) III. p. 364.

15) III. p. 360.

16) in *herb. vivo* C. BAVHINI, & forte *Caryophyllus ſaxatilis, Polygoni minoris foliis & facie, floribus albis, tanquam in umbella poſitis* BVRS in *Act. ſuecie* 1724. p. 507.

quam *Aspleni syluestris* nomine primus descripsit & commode depinxit TRAGVS: 1) Eam in his ipsis syluis inuenit THALIVS, 2) & *Struthiopteridem* CORDI vocauit, atque vix excusabili constantia adseruit a stirpe GESNERI 3) & TRAGI diuersam esse. *Goslariensis* enim planta cum nostra *Bernae* perquam vulgari in omnibus conuenit.

In iisdem syluis nascitur *Filix Lonchitidi adfinis*, IOH. BAVHINI, quam pro noua proposuit C. BAVHINVS, 4) cum extra dubium positum sit eamdem esse *Filicem feminam asperam* GESNERI: 5) *Filicem marem tertiam spinosam seu aculeatam* THALII 6) *Filicem spinosam seu aculeatam* SCHWENKFELDI. 7)

Vulgaris in vniuersa hercynia est *Filix mas non ramosa petiolis tenuissimis & tenuissime dentatis* CASP. BAVHINI, 8) quam esse *Filicem feminam mollem* GESNERI, 9) *Pteridion masculum* CORDI 10) *Filicem marem secun-*

1) *herbar.* p. 550.
2) p. 119.
3) GESNERVS CORDIANAE *struthiopteridi* iconem & nomen TRAGIANI *Aspleni* iunxerat, CORD. *hist.* L. II. c. 179. p. 171, hunc adcusat THALIVS & quod diuersissimas stirpes miscuerit notat; sed pro GESNERO descriptiones, & ipse locus natalis loquuntur.
4) *Filix aculeata maior* PRODR. p. 151.
5) *hort. app.* p. 292. b.
6) p. 43.
7) *Stirp. Siles.* p. 78.
8) *Cat. plant. circa Bas.* p. 99. & PIN.
9) *Hort. Germ. app.* 292. b.
10) *hist.* L. II. c. 175. est enim diversitas non ramosae, quare nolim

secundam teneriorem & molliorem THALII 11) pene certo affirmamus.

Sed & *Dryopteris siue ramosa minor* & *Filix femina minor Thalii* 12) quae *Pteriadion Cordi.* 13) *Filix femina minor laeuior candidiorque* GESNERI 14) *Filicula saxatilis parua & elegans* CAMERARII, 15) *Filix muraria seu minor* SCHWENKFELDI, 16) *Adianthum folio filicis* CASP. BAVHINI 17) hic prouenit. Quae teneritate quadam fragili, diuisione terna, raris, neque pinnatis, sed rutae murariae similioribus lobulis, vltimisque acute incisis, punctis flauis creberrimis distinguitur.

§. XVII.

In eadem sylua, & in Hercyniae nemoribus, tum circa *Gottingam* frequens est *Lactuca syluestris flore luteo,* quam repetito examinatam, vidimus habere *calycem* tubulatum, qui simplex videri possit, licet ad basin duo paria squamarum adcedentia habeat, *semen* vero latum nigrum conpressum, vtrimque acuminatum, quod pappum gerit in *stipite* notabili. Is tamen stipes in iuni-

nolim cum THALIO ad *Adianthum album filicis folio* referre quae ex genere ramosarum est.

(11) p. 43.
(12) p. 43.
13) L. II. C. 176. p. 170.
14) *Hor. Germ. app.* 292. b.
15) *Hort. Med. & Phil.* p. 60.
16) p. 78.
17) *Cat. Basil.* p. 98. & PIN. docente *Herbaris viuo.*

iunioribus ſtirpibus lactucarum omnium adeo breuis eſt, vt vix diſtinguatur. Qua in aetate, cum ſquamulis ad baſin minimis, obſeruata eſſe videtur Lactuca noſtra a Cl. MARTYN, 1) indeque nata occaſio nouo creando generi.

Suillus etiam in ea ſylua viſus eſt, bulbo craſſo purpureo reticulato, Pileo ex ochroleuco ſubfuſco, Poris minutiſſimis ochroleucis. Subſtantia & lamellae albidae, coeruleum colorem cito induunt quando laeduntur. *An Suillus craſſus ſuperne fuluus & leuis, inferne luteus pulpa roſea pediculo ex fulvo ſubrubente & velut reticulato*, MICHELI. 2) Difficile dictu, ſuilli enim etiam magis quam reliqui fungi colorem per aetates mutant.

§. XVIII.

Circa *Goslariam*, qua ad ad cuniculos montis *Rammelii* iter fecimus, frequens eſt *Statice*, quam ad pagum *ſieber* ſupra *Herzbergam* denuo vidimus. Elegans etiam *Caryophyllus* ibi naſcitur, quem primus deſcripſit CLVSIVS, *ſylueſtris ſeptimi* nomine; 1) novam vero deſcriptionem nouo cum nomine dedit RAIVS, 2) hiſtoriam eius perfecit tandem DILLENIVS. 3) Multi flores

1) *It. Phil. Trans.* n. 407. p. 22.
2) *nov. gen. plant.* p. 129.
1) *Hiſt. plant. rar.* p. 235.
2) *Caryophyllus minor repens noſtras*, *hiſt. plant.* p. 988. & *Syn. III.* p. 335.
3) *Hort. Eltham.* p. 402.

rus eſt. Petala pulchre purpurea ſunt, inſcripta ad vnguem circulo ſature admodum purpureo, vltra quem frequentia puncta alba; Apices ſubcoerulei. *Caryophyllus humilis flore vnico* 4) CASP. BAVHINI caule eſt erecto vnifloro, nudo, foliis anguſtiſſimis ad laricina adcedentibus, flore purpureo puro, radice maxima brachiata, a noſtro diuerſiſſimus & heluetiae indigena. Hunc *Goslarienſem* magna copia extra *Wernigerodam* vidimus, ſimilibus locis arenoſis & iuxta vias publicas. *Vulnerariam flore ochroleuco* hic & circa *Gottingam* aeque vulgarem atque luteam illam. Videtur de *Lagopodio flore albo* 5) TABERNAEMONTANI dubitare IOH. BAVHINVS, 6) quum notet deſcriptorem ob omiſſum locum natalem: Sed huc omnino referimus. Cum mucrone vexilli carinae & alarum purpureo, frequentem circa *Thermas Leucenſes* vidimus, ſed *albo* penitus *flore*, quam videtur IOH. BAVHINVS ex *Gotthardo M.* habuiſſe.

§. XIX.

Viſis *Goslariae* venis Vitrioli natiui & metalli miſti ex Plumbo, Argento, Cupro & Sulfure, tum vberrima minerarum omnis generis collectione SCHLVTERIANA, iis tandem fabricis quibus ſulphur ex pyrite excoquitur, *Harzburgum* petiuimus ad pedem Montis *Bru-*

4) huic ſtirpem ſuam coniungebat RAIVS. l. c.
5) Icon. p. 525.
6) *hiſt. plant. univ. II.* p.

Bructeri situm, ita tamen vt lenta adcliuitate per montanam planitiem dumetis obsitam, ad verum demum montem sero perueniatur. Ipse Mons, vt qui a palude dictus sit, vliginosus est totus, syluis nudus, circa verticem congestis absque ordine lapidibus, interceptisque haud modicis foueis molestus. Vertice nudus & lapidosus, vndique libere oculos late per vrbes agrosque errantes dimittit. In eo culmine commodum exstructa est casa, ad nocturna frigora arcenda perquam necessaria iis, qui solius spectaculi gratia montem conscendunt. Altitudo rudi aestimatione, quae *Iurassi* fere, neque recedunt obseruationes Geometricae, est autem ea ad bis mille pedes Rhenanos. Descensus inde rapidus ad *Ilsenburgum*, quo paucis admodum horis descendendo peruenitur per syluas abiegnas. Stirpes paucissimae Alpinae, sed aliae quaedam nostris inuisae, insolita sua pulchritudine mihi gratissimae fuerunt.

§. XX.

In primis nemoribus prope *Harzburg*, *Anagallis lutea nemorum*, in planioribus hic terrarum rarior, & *Dentaria baccifera* frequens est. Verum ad vias passim procumbit & serpit *Veronica supina Teucrii folio*, foliis suis rarioribus, rotundioribus, & amplioribus, floribus minus conspicuis rubellis ex alis foliorum erumpentibus, ouariis valde latis & conpressis, caule humum non relinquente se distinguens a *rotundifolia minori*. Eam COLVMNA pulcherrime depinxit & nomen dedit *Alyssi Dioscoridis montani* 1) cuius Iconem in

1) *Ecphr. stirp. rar.* L. I. c. 121. p. 286. Ex eo plerique alii, inde

in peruetusto codice visam non recedere a stirpe sua adseuerat. Alia icon est RIVINI in posterioribus tantum exemplaribus 2). Non in Italia solum, sed & in Germania nasci, diligentia IVNGERMANNI 3) RVPPII 4), DILLENII 5) docuit, in Anglia etiam prouenit RAIO 6) teste. *Heluetia* quidem, & *ager Parisinus* ea carent.

§. XXI.

In iisdem humilioribussyluis non solum *Pyrola folio mucronato serrato*, in vniversa Hercynia sylua frequens,

inde enim nata *Chamaedry spuriae adfinis rotundifolia scutellata* C. BAVHINI. *Alyssum montanum* COL. PARKINS. p. 590. *Veronica rotundifolia scutellata aut biscutata hederae folio H. OXON.* II. p. 321. PLVKN. *Almag. Bot.* p. 334. *Veronica supina Teucrii folio* ELEM. BOT. MAGNOL. H. R. M. p. 203. IRH.

2) *Veronica procumbens. Monop. Irreg.*

3) nulla enim alia stirps ab eius excessu in Germania visa est, cui conueniat nomen *Chamaedryos hederaceae siue Teucrii pratensis hederaceis foliis* HOFM. ex IVNGERMANNO. Quare neque *Chamaedrys spuria hederacea siue Scutellata repens* C. B. & RAII *hist. plant.* p. 847. vera & distincta planta erit.

4) nomine TOVRNEF. *flor. Jenens.* p. 197. habet & GEMEINH. *fl. Laub.* p. 41.

5) eodem nomine *Cat. plant. circa Giess.* p. 92.

6) cui est *Chamaedrys spuria foliis pediculis longis insidentibus Cat. stirp. Angl.* p. 64. *histor. plant.* p. 250. cum descriptione aucta: In *Syn.* vero II. & III. p. 281. *Veronica Chamaedryoides foliis pediculis oblongis insidentibus.*

ſed pulchra etiam ſpecies illa *ſcapo vnifloro* ſatis copioſe naſcitur, in ſyluis ſupra *Wernigeroda* denuo viſa, ſed in Patria mea rariſſima. Primus eam depinxit CLVSIVS cui *Pyrola minima* 1) eſt. Altera Icon eſt BESLERI 2). Tertia RIVINI 3), omnes ſatis bonae; vltima etiam ſtamina habet, ſed diuerſa ratione ab ea quam propoſuit LINNAEVS 4). Habet enim RIVINVS 1. 2. 2. 3. 2. LINNEVS 1. 2. 3. 1. 3. Obſeruationes meae pro LINNAEO faciunt, ſed in iis minutiis procul dubio aliquid ſibi permittit Natura. Hoc vero difformitatis genus in floribus rariſſimum eſt, niſi ſtaminum numerus a numero ſegmentorum floris differat, vt in octoſtemonibus.

§. XXII.

Paulo altius in Montis *Winterberg* ſyluis primum viſa *Trientalis* CORDI, nunquam nos deſeruit in toto monte *Bructero* gratiſſima comes, in Heluetia, Gallia, Italia, nunquam viſa, & citra quinquageſimum gradum nullibi prouenienſ. Deſcriptio LINNAEI omnino conuenit. *Caulis* ſimplex, ligulas foliaceas exiguas primum, in vertice vero maiores, tandemque in vera folia auctas producit, folia vero ad nouem vſque numeraui. *Petiolos* vnifloros & ſimplices & binos frequenter vidi. *Flos* plerumque ſeptemfidus, vt raro aberret, *calyce* ſeptifido purpureo, *petalo* rotato plano exterius ſub purpureo

1) *Pannon.* p. 508. *hiſt. plant. rar.* p. CXVIII.
2) *Hiſt. Eyſt. Claſſ. Vern. Ord.* XI. T. 12. f. 2.
3) *Pentapet. Irreg.* T. ult. *Pyrola flore ſingulari.*
4) *Flor. Lapon.* 157.

pureo intus lacteo. *Stamina* ſeptem aureis apicibus, globoſis. Tuba ſimplex vnica. Elegantia ſtirpis facit, vt ſynonymorum hiſtoriam addere viſum ſit. Breuiſſima deſcriptio eſt inuentoris CORDI 1), a quo *Herba Trientalis* dicta eſt; bona & vberior THALII 2) tertia SCHWENKFELDI 3). CASPARVS BAVHINVS pro noua propoſuit, *Pyrolam Alſines flore Europaeam* 4) dixit, & pro more ſuo fecit *maiorem* & *minorem*, maiorisque dedit iconem bonam, primamque. Sed folia & vniuerſus habitus *Pſyllii minoris* quod idem BAVHINVS depingit alibi 5), ita ſe habent, vt capitula ſquamoſa deſcriptionis, & fructus mori figura in icone, non perſuaſerint LINNAEO, aliam eſſe ſtirpem a noſtra *Trientali.* Frater IOH. BAVHINVS Cordi nomen retinuit 6). CHABRAEVS indigna ſimia, *Herbam Trientalem pyrolae ſpeciem ſecundum quosdam* 7) vocauit. PARKINSONVS pro *Pyrola Europaea Alſines flore* 8) figuram nimis ſerratam dedit, ipſiſſimam vero *Caſparis* BAVHINI iconem quae *Trientalem* exprimit pro *Pyrola braſiliana Alſines flore maiori & minori* 9) Nomen CASPARIS BAVHINI

1) *Sylv. obſeruat.* p. 222. a.
2) Αλσινανθεμον p. 15.
3) *Stirp. Sileſ.* p. 17.
4) *Prodr.* p. 100.
5) *ib.* p. 99.
6) *Hiſt. Univ. plant.* III. p. 506.
7) p. 501.
8) *Theatr. Bot.* p. 509.
9) p. 510.

retinuit LOESELIVS 10) MORISON 11) RAI 12) & SVTHERLAND 13). MERRETVS 14) *Pyrolam Alsines folio minore* dixit, OELHAVEN *Alsinanthemon* 15), AMBROSINVS *alsineanthemon vel alsinanthemon* 16) BARRELERIVS *Pyrolam longo folio flore albo singulari 17)*. PLVKNETVS *Pyrolae affinem alsinanthemon nostram alpinam 18)*. RVPPIVS 19), qui primus Characterem dedit, *Trientalem* CORDI & RIVINI. Idem nomen retinuit ERNDL 20); BVXBAVM 21) SIEGESBECK 22). *Trientalem* demum GEMEINHART 23) WALTHER 24) & LINNAEVS 25). KRAMERI *Tentamen* nondum vidi. MOEHRINGIVS, *alsinan-*

10) *Flor. Pruss.* p. 211.
11) *H. Oxon.* III. p. 505.
12) *Cat. stirp. Angl.* p. 246. *Hist. plant.* p. 1101. ubi florem facit pentapetalum.
13) *Hort. Edim.* p. 281.
14) *Pin. rer. Brit.* p. 99.
15) *Catal. plant. circa Dant.* p. 3.
16) *Phytolog.* p. 35.
17) *Icon. plant. in Gall. Ital. Hisp.* 1156. icon propria non optima.
18) *Almag. Bot.* p. 309.
19) *flor. Jenens.* p. 15. In Charactere floris segmenta & stamina omisit, fructum in tres carinas dicit dehiscere.
20) *Virid. Warsav.* p. 122.
21) *Plant. circa Hal.* p. 333.
22) *Primit. flor. Petrop.* p. 106.
23) *plant. circa Laub.* p. 11.
24) *design. plant. hort. sui.* p. 111.
25) *flor. Lapon.* 139.
26) *hort. priv.* p. 8. & 111.

alsinanthemi nomine Characterem nuperrime dedit, segmenta floris incerto numero recenset.

§. XXIII.

In eadem sylua frequens est Solidaginis species, summis Botanicis, RAIO, TOVRNEFORTIO & VAILLANTIO non cognita, licet omnino peculiaris sit. Flores habet solidaginis saracenicae, *semiflosculis* raris & omni charactere simillimos: Caulis & nascendi modus idem: *Folia* differunt, serrata equidem, sed adeo latiora vt longitudo latitudinis vix sit sesquitertia, molliora, & subtus lanuginosa: In *solidagine* vero *saracenica*, folia habent longitudinem latitudinis quintuplicem, dura praeterea & glaberrima: Quare tota facies magis ad *Iacobaeam Pannonicam IIII.* CLVSII accedit, a qua vero flore & defectu aurium sub foliis, & folio minus rotundo manifesto differt. Videtur omnino inter THALIANAS consolidae species esse, forte *Consolida saracenica alia* 1), in qua tamen proportionem latitudinis nimiam facit. Deinde *Consolida sarracenica maior* LVGD. 2) vt pro rudi icone satis nostram refert; Melior tamen est icon *Virgae Aureae siue solidaginis latifoliae serratae* I. BAVHINI 3), quam CHABRAEVS 4) repetiit. Huc referremus

1) p. 27.

2) *Hist. gener.* p. 1271. flores dicit senecioni affines. Flores tamen radiati indicant non esse *senecionem montium Averniae*, dictum CHOMELIO.

3) *Hist. plant.* II. p. 1063.

4) p. 333. mutato nomine. *Virga aurea Solidago sarracenica dicta latifolia serrata.*

mus *Solidaginem ſarracenicam dictam latifoliam ſerratam* LOESELII 5) niſi deſtitui lanugine moneret. An ſit *Virga aurea altera ſolidago ſaracenica* MORIS. PRAELVD. 6) folio minus ſpiſſo, non ſatis liquet: *Virgae aureae montanae latifoliae hirſutae* H. R. P. & SCHOL. BOTAN 8), ſola nomina habemus. PLVKNETIVS 9) iconem & noſtrae & LVGDVNENSIVM ſtirpi ſimilem dedit, cum nomine IOH. BAVHINI. An *Iacobaea Alpina latifolia foliis longioribus ſerratis PONTEDER* 10). Omnino videtur eſſe *Iacobaea nemorenſis latiore rigidiore & hirſuto folio* RVPPII 11), BVXBAVMI 12) ERNDTELII 13), ſub nomine IOH. BAVHINI a LISCHWIZIO 14,) relata ad *Iacobaeas*. Verum ſimilitudo nominum fecit, vt MORISONVS 15) & RAIVS 16) ſtirpem peculiarem I. BAVHINI miſcerent cum vulgatiſſima *Virga aurea latifolia ſerrata* fratris CASPARI diuerſiſſima 17) certe & flores

5) *flor. Pruſſ.* p. 286.

6) p. 323. probabile videtur. In *Hiſtoria* non habet.

8) p. 20. repetit MORISON *Hiſt. Oxon.* III. p. 124.

9) p. 390. T. 235. f. 1.

10) *Compend. Tab. Botan.* p. 140. non recedit.

11) *flor. Jenenſ.* p. 142.

12) *Enum. plant. circa Hal.* p. 144.

13) *Virid. Warſ.* p. 62. pluſculas plantas rariores ex RVPPIO repetit, vti fungos ſuos ad verbum ex HOFMANNI *Deliciis ſylueſtribus* exſcripſit.

14) *Diſſ. de Virg. Aureis* p. 27.

15) *Hiſt. Oxon.* III. p. 124.

16) *Hiſt. plant.* p. 279. cum ſigno ſtirpem ſibi non perſpectam fuiſſe.

17) Cl. etiam LISCHWIZ ſtirpes LOBELII, & PARKINSONI,

flores gerente in ſpicas, quae a *Virga aurea latifolia* exterorum non ſerrata, aut penitus non differt aut ſolis crenis: nobis enim nunquam tota absque crenis prouenit. Neque TOVRNEFORTIVS 18) neque VAILLANTIVS 19) errorem correxerunt. Iungenda fuerat apud VAILLANTIVM *Solidagini Saracenicae*, ſimillima ſed diuerſa ſpecies.

§. XXIV.

Cum ea naſcitur *Virga aurea Broccenbergenſis* THALII 1), varietas humilior minus ſerrata durior & glabra Virgae aureae vulgaris, qualem iconem elegantem dedit CAMERARIVS 2), & quae a BOCCONE 3) pro noua ſtirpe depicta eſt. *Acetoſa montana maxima* 4) in iisdem ſyluis prouenit, ſpecioſa varietas vulgaris Acetoſae, iuxta LINNAEVM 5). Id monendum, reti-

SONI, veras Virgae Aureae varietates, ad ſuam veram Iacobaeam refert.

18) Qui ſtirpes fratrum coniungit ſecutus MORISONVM, p. 484.

19) nullam mentionem facit plantae IOH. BAVHINI.

1) p. 129.

2) EPIT. MATTH. p. 748.

3) *Virga aurea Alpina lauirinis rigidioribus foliis Muſ. de Piante* p. 33. T. XVI. Inde IHR. RAI. *Hiſt.* vol. III. p. 167. VAILLANTIVS equidem peculiarem facit *Mem. de l' Acad.* 1720. p. 396 Sed repugnat ſtirps ſimillima iconi, toties in *Alpibus* & *Juraſſo* viſa, diuerſitate notabili, ſed per gradus decreſcente.

4) CB. *Oxalis maior Broccenbergenſis* THALII. p. 82.

5) *Flor. Lap.* 130.

retinere eam in hortis ſuam proceritatem neque vnquam ad ſtaturam pratenſis ſpeciei redire, vti in amoeniſſimis hortis Ill. HVGONIS vidi *Hanouerae*.

§. XXV.

Ingreſſi paludem, vix ſuperabilem niſi per aggerem ligno ſtratum, quae accolis vocatur *Hunerbruch*, inmenſam vim vidi *Linagroſtidis alpinae* vnica ſpica caulem terminante. Eſt ea absque controuerſia *Gramen iunceum lanigerum* THALII 1) inuentoris, indicante id loco natali. *Iuncus Alpinus capitulo lanuginoſo* C. BAVHINI *in Prodr.* 2) atque THEATRO. 3) qui & ipſe ex Hercynia ſylua habuit, *Iuncus capitulo lanuginoſo ſiue Schoenolaguros* PIN. AMBROSINI 4) SCHEVCHZERI 5). *Iuncus alpinus cum cauda Leporina* IOH. BAVHINI 6), RAII 7) PLVKNETI 8), SCHEVCHZERI maioris, *Gramen Iuncoides alterum lanatum Danicum* PARKINS. 9) MORISONI 10). *Iuncus alpinus* bom-

1) p. 55.
2) p. 23. cum icone.
3) *Theatr.* p. 187. 188.
4) *Phytolog.* p. 303.
5) in *Agrostogr.* p. 302. & ic. opt. Tab. VII.
6) II. p. 514.
7) *hiſt. Plant.* p. 1306. *Cat. Angl.* p. 132. *Syn.* III. 436. minorem ſpeciem non habet.
8) p. 200. *Almageſt.*
9) coniungit RAI. & icon conuenit. *Theatr.* p. 1271.
10) *H. oxon.* p. 224.

bombycinus PARKINS 11). (non vero C. B.) 12) *Linagrostis sylvatica spica simplici* RVPP. 13) *Linagrostis spica singulari alopecuroides* VAILLANTII 14). *Linagrostis Alpina maior capitulo singulari minori* MICHELII 15) Ab hac specie Linagrostidis, differt habitu humiliori, foliis paucis breuibus, spica aut aeque magna aut maiori, vaginis rarioribus, cespite minori *Gramen tomentosum Alpinum & minus* CASP. BAVHINI 16) MORISONI 17) *Gramen tomentosum alpinum minus* PARK. 18) *Iuncus alpinus capitulo tomentoso maiori* SCHEVCHZERI 19) minoris, *Linagrostis alpina media capitulo singulari maiori*, MICHELI 20). Eam nos in M. *Gothardo*, *Scheidek* & alibi in Alpibus lectam, ita conparauimus cum Hercynica, vt aliquanto latiora folia & culmum & spicam Alpina haberet, Hercynica haec omnia longiora. Id an a solo natali pendeat non dixerim. Vnam certe speciem fecit SCHEVCHZERVS 21) maior,

11) certo *Theatr.* p. 1272.
12) quae rarissima stirps est summarum alpium, vid. SCHEVCHZ. *Agrostrogr. Tab.* iam cit.
13) *Flor. Jenens.* p. 260.
14) *Bot. Paris.* p. 117.
15) *nov. gen.* p. 54.
16) *Theatr.* p. 60. ex Alpibus *Rhaetic.* & *Vales.*
17) *H. oxon.* III. p. 224.
18) *Theatr.* p. 1272.
19) *Agrostogr.* p. 304. & icon. T. VII.
20) l. c.
21) *Junco* enim *Alpino cum cauda Leporina Itin. Alp.* I. p. 41. quae maior species est, & humili quem addit in alpibus nasci, quae minor species est, nomina distincta non inponit.

ior, vnam LINNAEVS 22) nixus praeterea ſpecimine BVRSERIANO ſibi viſo. Nos iuncos C. BAVHINI non vidimus.

§. XXVI.

Tota haec palus fit ceſpitibus ex *Sphagni* 1) duabus ſpeciebus factis, cuius ideo meminimus, peruulgati equidem, quod ea ipſa capitula quae polline plena offendimus in *M. Bructero*, offendamus deſcripta a THALIO 2) depicta vero a DODONAEO 3) & LOBELIO 4) Anguſtifolii iconem hucusque nullibi vidi, eſt autem diuerſum omnino, & faciem ſuam diuerſam in eodem loco natali ſeruans. Capitula, vti totus habitus minor eſt, minora, ſimillima tamen gerit.

§. XXVII.

Ad fluuioli *die Ecker* lapidoſum littus, paſſimque in ſcrobibus ſummi etiam montis, prouenit *Ranunculus albo flore* 1), in Alpibus omnibus, ſed in humiliori earum

22) cui eſt *Eriophorum ſpica erecta caule tereti Fl. Lap.* 23.
1) *paluſtris candicantis* &c. DILL. CG. 229. & *Synopſ.* III. 104. nro. 1. & 2.
2) *In Broccenbergi iugo candida muſci ſpecies . . . capitulum continens puſillum, cymbali verſus ſuperiora patentis figura, coloris ſpadicei*, p. 78.
3) *Muſcus paluſtris Pempt.* p. 472.
4) *Muſcus terreſtris vulgaris* eadem ic. Icon. II. p. 242.
1) *Ranunculus maximus Leucanthemos ſiue Aconitiformis* THAL. p. 101.

earum ſede, & in *Iuraſſo* frequens, qui folio quinquelobato amplo ſplendente, caule alto brachiato, ſapore non acri, floris demum colore ſatis ſe diſtinguit. Primus eum deſcripſit C. GESNERVS 2) MATTHIOLI 3) enim icon eo referri ſolita *Anemonoidi montano polyantho* longe eſt ſimilior: deinde DODONAEVS 4) & alii longo ordine. Magna eſt apud me auctoritas ingenui & diligentiſſimi viri CAROLI CLVSII. Sed vix tamen poſſum a me obtinere, poſt tot per alpes itinera, vt credam diuerſum eſſe a noſtro Ranunculum *montanum IIII.* 5) in *Pannon.* & *Hiſtoria* deſcriptum. Facies enim, flos, ſapor ipſe, locus notatus conueniunt. humilior habitus, flos minor, praecocior eruptio in florem poſſunt a cauſis exterioribus profecta eſſe.

§. XXVIII.

Ad eumdem riuum frequens naſcitur, *Myrrhis Broccenbergenſis* THALII 1) & VOLCAMERI 2) *Myrrhis montana* SCHWENKFELDI 3) *Meum Sileſiacum* forte

2) *M. fract. deſcr.* p 65. nomine *albi maioris*. In *Tabulis Collect.* vocat *Ranunculum ſylveſtrem album Fidertſche*, in *hortis Germaniae*, *Ranunculum montanum tertium Fidertſche Aretii* p. 275. a., in *append. Ranunculum album maiorem foliis Platani fere ſylueſtrem flore ſimplici* p. 295. b.

3) *Ranunculus* IIII. p. 613.

4) *Ranunculus albus externorum IIII. hiſt. plant. Coronar.* p. 288. ic. p 286. *quintus Pempt.* III. L. IV. c. 3. p. 430. ic. p. 429.

5) *Pannon.* p. 369. 370. *hiſt. Plant. rar.* p. 236.

1) p. 77.

2) *Flor. Noric.* p. 296.

3) *Stirp. Sileſ.* p. 142.

CAMERARII 4): *Myrrhis paluſtris hercynica* IVNGERMANNI, HOFMANNI 5), RAI 6). THALIANAM ſtirpem neque C. BAVHINVS 7) neque FRATER 8), neque RAIVS 9) notam habuit. Eſt vero certiſſime, cum omnibus Synonymis modo dictis, *Myrrhis paluſtris latifolia alba & rubra* IRH. 10). Ad quam pertinere alibi dixi, *Seſeli montanum cicutae folio ſubhirſutum* C. BAVHINI 11): Cuius nomen repetiit, RAIVS 12) & MORISONVS 13), plantam neuter cognitam habuit. De eo vero & ex *herbario viuo*, & ex itinere in locum natalem facto mihi conſtat. An huc pertineat *Cicuta ſylueſtris maioribus quam vulgaris foliis* CORDI 14) id ex pauciſſimis vocibus definiri non poteſt. Id addendum, ſemina longa bicorni Tuba ſua inſignia, ſtriis conſpicuis non notari; ſicque

4) *hort.* p. 101.
5) *Flor. Altd. delic. ſylv.*
6) *Hiſt. Plant.* III. p. 257. & *catal. ſtirp. exter.* 1694. p. 185.
7) qui in *Pinace* recenſet ſub titulo *Myrrhis Broccenbergenſis* quid?
8) cui eſt *Myrrhis Broccenbergenſis foliis Myrrhidis Italicae flore albo radice craſſa nigra* III. p. 78.
9) *Hiſt.* 431. cum Aſteriſco.
10) cuius pulchram iconem RIVINVS dedit nomine *Myrrhidis paluſtris*.
11) *Prodr. Theatr.* p. 85. *Cat. plant. circa Baſ.* p. 49. *Pin.*
12) *Catal. plant. exter.* 1694. p. 236. [Obiter obſeruo *Montem Waſſerfall* ibi dici vicinum *Scaphuſiae*. Sed longe abeſt, *Baſilea* vix duobus milliaribus Germanicis diſtans.] *Hiſt. plant.* p. 452. cum ſigno dubii.
13) *Hiſt. Oxon.* III. p. 286.
14) *Sylv. obſerv.* p. 222. b.

ſicque recte ſtirpem noſtram ad *Chaerophylla* relatam eſſe ab optimo BOERHAAVIO 15) qui nuper rebus mortalibus ereptus, omnibus veri bonique amantibus perpetuum ſui deſiderium reliquit; vir ex hominum memoria ingenii magnitudine, animi vero modeſtia & benignitate nemini ſecundus.

§. XXIX.

Specioſa *Sonchi ſpecies*, *coeruleus latifolius* 1), flore ſpicato, in ipſis crepidinibus eiusdem riui frequens eſt, denuo viſus nobis ad littora fluuioli *die kalte bode*, prope villam venatoriam *das Elend.* Eum THALIVS 2) etiam albo flore vidit.

§. XXX.

Inde adſcendimus ipſum montem qua parte propria magis voce *der Broken* vocatur. *Bryum* ibi vidi & quod icon eius non exſtet, ſculpi curaui 1). Eius *caules* valde ramoſi, erecti tamen neque ad Hypni ſpeciem repentes; *folia* latiuſcula non adeo acuta, neruo medio valde conſpicuo, ſeriatim & imbricatim caulem contegunt,

15) *Chaerophyllum latifolium paluſtre flore albo & rubro. Ind. alt.* p. 70.

1) I. B. II. p. 1004. cuius pulchra icon, mutuo accepta a FRATRE, ſculpta proſtat apud CAMERARIVM *Epit. Matth.* p. 280.

2) *Intybus* πλατυφυλλος *hercynica* p. 62.

1) fig. 2.

tigunt, atque in speciem ex terete polygonam ambiunt; adulta nigricant. *Setae* ex caulis longitudine, bulbis minus conspicuis adscendunt, rectae & saepe aristarum instar intortae, vnciales, raro ex summa stirpe prodeuntes. *Capitulum* erectum crassum ouatum fuscum, *calyptra* in acutissimam acum educta. Retuli ad *Bryum hypnoides erectum montanum, erectis capitulis acutis* DILLENII 2). Ad ligna putrida frequens ibi prouentus est *Lichenis*, qui modo simplex, modo prolifer coccineis fungosis verrucis ornatur. Eum non rarum certe, ideo nomino quia THALIVS 3) longe primus eum descripsit. Quid sentiendum de fungosis istis excrescentiis, an morbus aut exuberantis succi vicium? suadet figura irregularis, prouentus in siccis & moribundis lichenibus, analogia Agaricorum. Repugnat constantia horum scutorum in eo Lichenum genere, quod ramis arbusculas exprimit.

§. XXXI.

In eadem via, quae fluuiolum sinisteriorem diu obseruat, *Polyporum* cespitosum ligno haerentem decerpsimus. Tota substantia dura coriacea filamentosa fuit. Figura infundibuli, intus pilis in concentricos circulos dispositis fuluis pubescebat, externa facies albida & glabra, poris frequentibus distincta, quos efficiebant breuissimae & vix percipiendae laminae. *Polyporum* dicimus, ob adfinitatem & naturam financiorem, tubuli

vero

2) Rat. *Synops.* III. p. 94. nro. 12.
3) *Lichen* circa *Andersbergam*, p. 73.

vero Suillum faciunt, licet duplicem ſubſtantiam non habuerit. Non abſimilis erat *Polyporo exiguo Alpino fuluo infundibuliformi pediculo breuiori* 1) MICHELI.

§. XXXII.

Paſſim ibi *Osmunda lunato folio* proueniebat, & *Lichen terreſtris folio Eryngii* BVXBAVM 1), cuius ſynonyma recenſet MICHELI 2). Verum ante omnes ſcriptores, quos excitat, CORDVS 3) ipſe hunc Lichenem viderat, dixeratque *Muſcum criſpae Lactucae ſimilem.* CAMERARIVS 4) etiam iconem eius qualemcunque exhibuerat. Quaerit de eo LINNAEVS 5), quomodo poſſit in cibum recipi, cum SIBBALDO 6) & BORRICHIO 7) teſte aluum vehementer ducat. Reſpondet BORRICHIVS 8), & ROBINSON 9), vere primo purgare, reliqua aeſtate exſiccatum in farinam fieri edulem,

1) *nov. gen. plant.* p. 130. T. 70. f. 10.
1) *Centur. plant.* II. p. 11. T. VI. f. 1.
2) p. 85. T. 44. f. 4. qui & ſcuta vidit, oppido rara, & quae offendere nunquam mihi datum eſt.
3) *Sylv. obſerv.* p. 221. a.
4) EPIT. p. 783. ic. 2.
5) *Flor. Lapon.* 445.
6) cui eſt *Muſcus in Islandia purgans. Prodr. hiſt. natur. Scot.* p. 39.
7) *Act. Hafnienſ.* A. 1671. p. 126.
8) ibid.
9) apud RAIVM. *hiſt.* p. 114. cui eſt *Muſcus Islandicus* BARTHOLINI.

H

dulem: exſpirante forte ea quam ſemper in eo percepi ſumma amaritudine. Neque obſtat, quod purgans cum ſit, egregium vulnerarium & conglutinans dicatur a BREYNIO 10), Gratiola enim, validum vtique Catharticum, pro ſummo vulnerario a ruſticis noſtris habetur.

§. XXXIII.

Plurimum ad terram ibi prouenit *Lycopodium caule erecto ſpica glabra terminato* eximii LINNAEI 1) cuius inuentor videtur AGERIVS 2), miſtum vulgari *Lycopodio*. *Vitis* etiam *Idaeae* plura genera frequentia naſcuntur per paludoſa prata montis, proprie magis BRVCTERI nomen gerentis. Inuenimus ibi *Vitem Idaeam foliis oblongis crenatis fructu nigricante*. Deinde *Vitem Idaeam foliis ſubrotundis non crenatis baccis rubris*, ad quam aliquae obſeruationes videntur addendae eſſe. Namque TRAGVM huius inuentorem fecit CASP. BAVHINVS, qui tamen in *Myrtillo exiguo* 3) non huius ſed manifeſte admodum *vulgaris fructu nigro* deſcriptionem dedit, cum icone minus bona. Inde etiam factum eſt, vt ſub titulo *Myrtilli exigui* AMBROSINVS 4) & TITA 5) noſtram

10) *Muſcum pulchrum terreſtrem ſanguineum* dicit in E.N.C. *Dec.* I. *ann.* III. *Obſ.* 289. cum icone non mala.

1) *Flor. Lapon.* 419.

2) apud I. BAVHINVM p. 767. ſub *Muſco terreſtri foliis retro reflexis*.

3) p. 974.

4) *Phytolog.* p. 368.

5) *Hort. Mauroцen.* p. 125.

ſtram propoſuerint. Porro folia noſtrae euidenter ſubtus punctata ſunt, vt valde manifeſtum ſit CASP BAVHINVM hanc prae oculis habuiſſe, quando *Vuam Vrſi*, diuerſam vtique & punctis carentem, dixit *Vitem Idaeam foliis carnoſis punctatis*, quae voces diu mihi inpoſuerunt. *In herbario viuo C. B.* vti paſſim aliqua ita arbores in primis fere perierunt pluuiae iniuria, neque potuerunt conſuli. Deſcriptioni floris addi poteſt, quod gemelli apices quatuor cornua longiuſcula educant, & ita conglutinati ſint ad ſimilitudinem ſtaminum in *Viola*, vt *monadelphiam* omnino imitentur, euidentius quam *Hypericum* aut *Geranium*; *Tuba* vero apice incuruo ſit, quod RIVINIANIS ſufficere deberet ad plantam in Irregulares amouendam. *Fructus* in patria mea edules non habentur, multo minus ad delicias referuntur 6). Primus eius meminit C. GESNERVS noſter in deſcriptione M. FRACTI 7). THALIVS 8) *Vitem Idaeam rubram* dixit. Haec in omnibus ſyluis editioribus *Hercyniae*, plane vti in *Iuraſſo* & *ſubalpinis* vulgatiſſima eſt.

§. XXXIV.

Paludes magis ſequitur *Myrtillus grandis* 1) TRAGI, quod ſynonymon cum illo THALII 2) male ad aliam ſpeci-

6) vti in Suecia & Laponia teſtante LINNAEO *flor. Lap.* 144.
7) *Vitis Idaea rubris acinis* p. 63. In *Collect. Tab.* *Vitem Idaeam in alpibus rubram* vocauit, ed. II. p. 115. in *hortis* Germaniae *Vitis Idaeae ſpeciem alteram acinis rubris* p. 287.
8) p. 129.
1) L. III. c. 13. p. 974. absque icone.
2) *Vitis Idaea nigra maior*. p. 129. ad ſpeciem diuerſiſſimam foliis oblongis alibicantibus quae III. TABERN. & CLVSII.

ſpeciem retulit CASP. BAVHINVS. Inuentor TRAGVS eſt, deinde *du* CHOVL 3) eius meminit, deſcriptionem & iconem primam dedit CLVSIVS 4). Baccae nigrae ſunt, iis inebriandi vim tribuit RVPPIVS 5) quam in vulgi ſermonibus receptam de *Myrtillis* M. Bructeri, ad *Empetri* baccas refert THALIVS 6). In patria mea in vſus humanos non recipiuntur.

§. XXXV.

Paludes amat etiam *Oxycoccus*, ſed humiliores, cum *Myrtillus grandis* in ſummas Alpes adſcendat 1). Eum CORDVS 2) primus propoſuit & nomine donauit. Prima icon eſt C. GESNERI 3), elegans. Flos manifeſto monopetalos, ſed in quatuor portiones profundiſſime ſecedens 4): antherae non cornutae. Baccae cum ſaccharo edules apud Batauos 5), nobis in menſis ignotae 6).

Ad

3) *humilis frutex cuius baccae Airelles, deſcr. Pilat.* apud GESNER. *fract.* p. 74.
4) *Vitis Idaea* II. *Pannon.* p. 77. 80. *Hiſt. rar.* p. 61.
5) *Vaccinium altiſſimum foliis ſubrotundis exalbidis flor. Ien.* p. 39. poſt CAMERARIVM *in hort.* p. 128.
6) p. 41.
1) in ipſo *Gemmii* vertice & *Gothardo* viſus.
2) *Oxycoccum Hiſt. plant.* L. II. c. 63. cum bona deſcriptione.
3) ibid.
4) quod recte obſeruat eximius LINNAEVS. *flor. Lap.* 145.
5) DODON. *Pempt.* VI. L. II. c. 9. p. 770. *Vaccinia paluſtria.*
6) vti neque apud Suecos & Lapones edules habentur LINN.

§. XXXVI.

Adfinis Vitibus Idaeis eſt *Andromeda*, foliis contractis ad margines, vt ſuperficiem pronam eleuatae orae ambiant. Prouenit propius iam verticem BRVCTERI in paludoſis paſcuis, amoeno ſpectaculo, recentibus germinibus corallinis, petiolis pendulis vna cum flore pulchre purpuraſcentibus. Hanc omnino primus propoſuit THALIVS, *Myrtumque tenuifoliam* dixit 1) IOH. BAVHINVS deſcriptionem & Iconem dedit, & dixit *Vitis Idaeae affinem poliifoliam montanam* 2) quod nomen non corrupit CHABRAEVS 3), vt ſaepe quidem ſolet. Eſt porro *Rosmarinum ſylueſtre noſtras* PARKINSONI 4). *Vitis Idaea Rosmarini folio auerſa parte candido & neruoſo* LOESELII 5). *Erica foliis roris marini flore amplo* VESLINGII 6) *Erica alpeſtris rorismarini incano folio flore purpureo* TITAE 7) *Rosmarinum ſylueſtre* MERRETI 8), *Erica rorismarini folio* RAII 9), *Erica humilis Rosmarini folio Vnedonis flore capſula ciſtoide* PLVKNET 10). *Erica paluſtris flore purpuraſcente, pendulo, petiolo*

1) p. 78.
2) *Hiſt. Vniv.* Vol. I. l. V. p. 525.
3) p. 41.
4) *Theatr.* p. 76.
5) *Flor. Pruſſ.* p. 289.
6) *Cat. plant. Patav.* apud TITAM.
7) *Hort. Maurocen.* p. 68. omnino videtur. In *Itinere* vocat *Ericam alpinam paluſtrem Rorismarini folio flore purpureo.*
8) *Pin. rer. Britann.* p. 106.
9) *hiſt. plant.* II. p. 1489.
10) *Almag. Bot.* p. 136. T. 175. f. 1.

tiolo longo rubro rorismarini folio RVDBEK 11) *Ledum palustre nostras arbuti flore* RAII 12). *Poliifolia* BVXBAVM 13) *Ledoides rosmarini foliis rigidis superne laete viridibus inferne albis floribus dilute rubentibus* SIEGESBECK 14), *Ericoides flore rubro siue purpureo* HEIST. 15) *Andromeda foliis alternis lanceolatis margine reflexis* LINNAEI 16). Flos Ericae figuram habet; Staminum proportio, fructus & numerus segmentorum floris Chamaerhododendri est. CAMERARII *Vitis Idaea Bavarica baccis rubris insipidis* huc non videtur pertinere: vid. RAI ad eum titulum.

§. XXXVII.

Tandem & *Empetrum* versus verticem montis frequens nascitur, staminibus nunc onustum, & florens. Hoc a MATTHIOLO 1) primum descriptum, in *Bructero M.* inuenit AEMILIVS 2), deinde THALIVS 3) atque baccas inebriare atque deliria gignere monuit, quod quidem neque BORRICHIVS 4) neque LINNAEVS 5) admittunt.

Supe-

11) *Catal. stirp. ex Lapon.* in *Act. suecic.* 1720, p. 97.
12) *Syn.* III. p. 472.
13) *Act. Petropol.* vol. II. p. 345.
14) *Primit. flor. Petrop.* p. 63.
15) *Catal. Hort. ann.* 1731. monente LINNAEO, synonyma enim desunt.
16) *Flor. Lapon.* 163. cum icone rami T. 1. f. 2.
1) p. 154.
2) qui *Corin Broccenbergicam* dixit apud THALIVM.
3) *Erica baccifera Matth.* p. 41.
4) *Act. Hafniens.* 1673. p. 161.
5) *Flor. Lapon.* 305. an THALIVS popularem famam, a *Myr-*

§. XXXIX.

Superatis dumetis quae vertici proxima ſunt, & in ipſo culmine montis, magna vis *Pulſatillae albae* prouenit, plane ſimilis illi quae in *Iuraſſo* & *Alpibus* frequens naſcitur, flore albo, ad petalorum ortum exterius coeruleo colore tincto, foliis myrrhidis minute diuiſis. Eſt tamen in vniuerſum habitus minus villoſus & flos ipſe minor. Inuentor CORDVS 1) eſt, icon prima CLVSII 2). *Pulſatilla Apii folio vernalis flore minore* SCHEVCHZERI 3) ſub alieno nomine eſt eadem noſtra, vt ex deſcriptione adparet.

§. XXXX.

Lapidibus in culmine copioſe irrepit, *Bryum hypnoides capitulis plurimis erectum lanuginoſum* DILLENII 1) foliis ex latiusculo ortu in pilum criſpum eductis, capitulis exiguis ouatis in ſetis breuibus erectis per caulis longitudinem frequenter prouenientibus. Huc aliqui *Muscum montanum* TABERNAEM. 2) ex leui coniectura. An *Muſcus capillaceus denſiſſimus lanuginoſus albouiridis apicibus niueis* SCHEVCHZERI 3)? non liquet, & fere mallem

tillo grandi per errorem tranſtulit in Empetri baccas? videtur.

1) *Ranunculi XI. ſpecies* hiſt. L. II. c. I. p. 121. b.

2) *Anemone ſylveſtris II.* Hiſt. p. 245. cum icone, & *Anemone montana pulſatillae folio* PANN. p 382. deſcr.

3) *It. Alp.* IV. p. 339.

1) *Synops. Rai.* III. p. 97.

2) p. 809.

3) *It.* VII. p. 516.

mallem referre ad *Sphagni* 4) speciem. An *Muscus ericetorum hirsutie canescens & ramosus* RVPPII 5)? non repugnat.

§. XLI.

Cum Pulsatilla vberrime prouenit *Hieracium alpinum pumilum folio lanuginoso:* cui *Radix* vix obsequens, lignosa, *Caulis* dodrantalis, aphyllos nonnisi ligulas quasdam graciles & sparsas paucasque adnatas habet. *Folia* cum flauedine virentia longos albos pilos educunt, longa, gracilia, ambitu alias integro, alias vagis dentibus sinuato. Ex villosissimo *calyce* nigro, cuius lanugo alba est, *Flos* flauus, petalis quinquedentatis. Inuentor THALIVS 1) est, qui *Hieracii minoris speciem Broccenbergo peculiarem* vocauit. Iconem primam dedit COLVMNA, cui est *Hieracium pumilum II. Fr. Gregor* 2). Ex eo prouenit *Hieracium alpinum pumilum folio lanuginoso* CB. 3) VAILL. 4) *Hieracium alpinum pumilum lanuginosum* 5) PARK. *Pilosella monoclonos non repens Alpina minor lanuginosa amplo flore* 6) MORISONI.

Hiera-

4) quod in *syn. Rai.* quartum est p. 105.
(5 *flor. Ienens.* p. 292.
1) p. 57.
2) *Ecphras.* II. p. 29. *ic.* p. 30. exiguum specimen.
3) Pin.
4) *Memoir. de l'Acad.* 1719. p. 239. cum synonymo alieno PLVKNETI.
5) p. 799.
6) *H. Oxon.* III. p. 78. S. VII. T. 7. f. 5. ex COLVMNA.

Hieracium alpinum pumilum II. RAII 7). *Dens Leonis Alpinus minimus pilosellae folio* TOVRNEFORTII 8) an & SCHEVCHZERI? 9) *Hieracium alpinum angustifolium villosum* 10) SCHEVCHZ.; *Hieracium alpestre pilosum angustis longioribus foliis flore pallente* TITAE 11) pro noua planta exhibitum. *Hieracium villosum alpinum flore magno singulari caule nudo* RAII 12) *Hieracium caule vnifolio & vnifloro calyce villoso* LINNAEI 13).

Ab hoc, caule folioso & foliis omnibus dentatis diuersum est, caeteroquin simillimum, *Hieracium alpinum folio acuto, molli, lanuginoso, dentato* BVRSERI 14) *Hieracium* forte *alpinum lanuginosum longifolium leuiter dentatum* VAILLANTII 15).

Huic denuo ita adfine est, vt proximum sit, aliud quod ab eo, quod in Bructero prouenit, foliis latioribus ad ipsum etiam ramosum caulem frequentibus, latiusculis, sinuatis & obtusis; a stirpe, quam BVRSERO tribuimus, foliis latis non dentatis differt, simillimum villo foliorum & calycis, ipsoque flore. Ea est *Hieracium*

7) *hist. Plant.* p. 241. cum asterisco.

8) *hist. des plant. aut. de Paris* p. 54. & IRH.

9) *It.* IV. p. 333. absque descriptione; verum cum nostra stirps in eodem Itinere alio cum nomine recenseatur, haec potius *Pilosella* videtur magis incana summarum Alpium.

10) in eodem *Itin.* IV. p. 336. certo.

11) *Itin.* post *hort. Mauroc.* omnino videtur.

12) *Syn.* III. T. VI. f. 2, bene nisi aliquid in habitu desideres.

13) *flor. Lap.* 283.

14) *Act. Suecic* 1724. p. 502. Ex Gemmio M.

15) *Memoir.* l. c. p. 241. cum synonymo I. BAVHINI, quod ad vicinam plantam statim dicendam pertinet.

cium alpinum hirsuto folio CLVSII in *Pann.* 16) *alpinum V. villosum in histor.* 17) *Hieracium V. Pannonicum* CAMERAR. 18) *Hieracium alpinum hirsuto folio V.* CLVSII *quodammodo incanum* IOH. BAVHINI 19) exscriptum ex CLVSIO, & denuo *Pilosella siue Pulmonaria lutea angustiori folio valde pilosa duplex* 20) eiusdem cum propria descriptione & icone stirpis ex Montibus Geneuensibus petitae, vbi & ipsi eam legimus. Priorem CHABAVEVS *Hieracium alpinum hirsuto folio flore hieracii lúteo* 21) vocat, in alterius nomine vocem *duplex* 22) solam omittit, idque nomen post CHABRAEVM MORISON 23) & RAIVS 24) retinuit. RAIVS alibi 25) *Philosellam siue pulmonariam luteam angustiori folio valde pilosam alteram* dixit. Ex CLVSIANA demum stirpe natum est, *Hieracium alpinum latifolium villosum magno flore* C. BAVHINI 26) PARKINSONI 27) MORISONI 28) HERMANNI 29) RAII

16) p. 643. icon v. p. 646.
17) p. CXLI.
18) *Hort. Med.* p. 75.
19) II. p. 1027. ipsum non vidisse stirpem CLVSII adparet.
20) Varietas nempe in foliis imis, quorum pediculus modo longior modo breuior est, etiam nobis obseruata.
21) p. 320.
22) p. 325.
23) *H. oxon.* III. p. 31.
24) *Hist. Plant.* p. 240.
25) *Catal. stirp. exter.* p. 204.
26) PIN.
27) *Theatr. Botan.* p. 399.
28) *H. oxon.* III. p. 70.
29) H. L. B. 315. *Flor. Bat.* p. 21.

RAII 30) MAGNOLII 31) TOVRNEFORTII 32) TITAE 33) SCHEVCHZERI 34) PONTEDERAE. 35) *Hieracium V. villosum Clusii* MVNTINGII 36) *Hieracium alpinum latiore folio pilosum flore maiore* PLVKNETI 37) cum propria & bona Icone. A *montano tomentoso* 38) diuersissimum est. Quae omnia quando collata sunt, adparet tres stirpes modo descriptas, conuenire longo villo folii, & calycis, huiusque nigredine, colore demum folii flauido, & mollitie, magnitudine & colore floris: Ita tamen, vt primum caulem pene aphyllon, folia ad radicem longiora & angustiora habeat: Duo reliqua caulem foliosum & folia latiora. Et eorum prius quidem serrata, alterum, quod simul ramosius, multiflorum & reliquis amplius est, integra. Secundum a primo vix satis differt, a tertio euidenter, quod & a primo certissime diuersum est. Primum in *Bructero* & *Gothardo* M. alterum in *Gothardo*, tertium in omnibus culminibus *Iurassi* & alpibus lectum est.

 Circa

30) *Catal. stirp. exter.* p. 114. *hist. plant.* p. 239. cum nota qua plantas sibi incognitas distinguit.

31) H. R. M. p. 98.

32) I. R H.

33) *hort. Maurocen.* p. 89.

34) *It. Alp.* l. p. 39. bona descriptio.

35) *Dissert.* p. 91.

36) *waare oeffening van de Plant.* p. 454.

37) *Almag.* p. 184. & T. 194. f. 2. bona ic.

38) VAILLANTIVS hoc admiscet, breui suo tomento & toto habitu distinctum, atque pulcherrime depictum in *Hort. Eltham* ic. 181. Verum neque icon *Hieracii latifolii pilosi coccinei vmbellati Indici* PLVKNET. T. 194. f. 4. vllo modo stirpi nostrae respondet.

§. XLII.

Circa casam in vertice Bructeri M. exstructam, stirpem denuo vidi, quam in Alpinis pratis *M. Scheidek & Neunenen* olim inueneram, & ex Bohemiae montibus miserat amicissimus HAENELIVS Schneebergensium Medicus. Eam cum pro noua tunc haberem descripsi 1); sed cum aliqua festinatione. Quare nunc, & synonyma & descriptionem meliorem visum est addere. *Radix* ex multis teretibus fibris, absque conspicuo carpo in imum caulem coeuntibus. *Scapus* a dodrantali ad cubitalem, *folia* ad terram pluscula, lata, & obtusiora quam in plerisque Orchidibus, si *palmatam flore viridi* exceperis, ad caulem angustiora acutiora. *Spica* florum mediocriter densa, interiectis, vti in Palmatis fieri solet, foliolis paulo longioribus quam ouarium. *Ouarium* contortum de more, duarum linearum longitudine. *Flos* ex albo herbaceus dimidia parte longior. *Galeae* foliola quinque, quorum alia tria ex albo pallentia magis conspicua sunt, duo minora lutea ex virore. *Barba* 2) trifida, simplex recta protensa, segmento medio maiori. *Calcar* 3) inflatum conicum vnius lineae longitudine. *Cucullus staminum* nihil peculiare habet. *Apices* lutei. Odore destituitur. Primus hanc stirpem proposuit LOESELIVS 4) deinde in montibus helueticis lectam SHERARDVS 5), cum BOBARTO communicauit, & BO-

1) *Orchidem palmatam alpinam spica densa albouiridi* vocaui, *Com. Lit. Phys. Techn. Med.* 1733. p. 20.

2) Mich. l. c. B.

3) ib. C.

4) cui est *Orchis palmata palmis inuersis flore albo.* Flor. Pruss. p. 182.

5) qui in *catal.* inserto *Catal. stirp. exter.* Raii. 1694. vocat *Orchidem Palmatam montanam latifoliam floribus in spica densa albis tantillo lutei admixto* p. 400.

BOBARTVS 6) quidem cum *Orchide pusilla alba odorata radice palmata* Angliae indigena eamdem fecit. PLVKNETVS 7) & RAIVS 8) videntur distinguere. Quam litem suam non fecit CHOMELIVS, neque nos definire possumus. CHOMELIVS pro noua planta descripsit, & ob radicis fibras in carpum non connascentes, *Limodoris* adcensuit, repugnante omni habitu, dixitque *Limodorum montanum flore albo dilute virescente* 9). MICHELIVS nouam iconem dedit, & nomen fecit *Pseudorchis alpina flore herbaceo* 10). Quamquam, vt verum fatear, radicis dignitas tanta esse non videatur, vt stirpem omni fabrica simillimam Palmatis, ab iis auellas. An etiam *Orchis palmata thyrso specioso longo dense stipato ex viridi albente* RICHARDSONII 11)? non satis liquet. An *Orchis flore albo minimo* MERRETI 12)?

§. XLIII.

In scrobibus ad verticem, *Polygonatum tenuifolium* CORDI 1) vidimus, quod quare *maius* & *minus* fecerit THALIVS 2), non video. In decliui vero parte montis, quae pagum *Ilsenburg* spectat, vnicam stirpem *Mei.* Neque praeterea aliquid singulare obuenit, ea die qua per *Ilsenburgum* pagum metallis celebrem, *Wernigerodam* petiuimus.

§. XLIV.

A *Wernigeroda* ad *Specum Baumannianam* iter facientibus aliquoties visus est pilosus in *Hieracio murorum philosissimo*

I 3 tumor,

6) cui est *Orchis palmata pusilla alba odorata* H. Oxon. III. p. 499.
7) *Almagest.* p. 271.
8) *Cat. stirp. angl.* p. 217. *Hist. plant.* p. 1225. *Syn. III.* p. 381.
9) *Mem. de l'Acad. des scienc.* 1705. p. 517. ex Aruerniae montibus.
10) *nov. gener. plant.* p. 30. & T. 26.
11) apud RAIVM *synops.* III. p. 382.
12) *Pin. rer. Brit.* p. 86.
1) *Hist.* L. I. c. 86. p. 113.
2) p. 85.

tumor, qui fuluo crine, modo adſidens radici, modo angulis caulium, aliquam & rudem imaginem musculi ſedentis exhibet. In ſyluis *Brocomagi* viſus fuerat morbus iſte elegans a TRAGO, dictus etiam 1) CHEMNIZIO 2) & RVPPIO. 3) HEVCHERVS vero, vt nouum nomen ob eum tumorem faceret *Hieracio myophoro* 4) non admodum erat neceſſe. STOBAEVS 5) etiam, & LINNAEVS 6) eius meminerunt. In pratis, ſub iisdem ſyluis, copioſe prouenit *Filipendula*. In ſupercilio *ſpecus Baumannianae* vbique, *Geranium ſanguineum maximo flore*, raro inter *Gerania* exemplo monanthos, cuius iconem non bonam CLVSIVS 7), optimam dedit BESLERVS 8).

§. XLV.

Plures omnino, pulchrasque ſtirpes alit Hercynia ſylua, quod ex THALIO ſatis adparet, & certius perſuaſit nobis faſciculus plantarum indigenarum Hercyniae miſſus ab illuſtri Viro *Aug. Ioh.* HVGONE Archiatro Brittannico. Sed plures hoc in itinere non vidimus, obſtabant praeter tempeſtatem pluuiam aliae quaedam difficultates. Alterius aeſtatis labor, vt ſperamus felicior erit. Comites autem noſtri itineris fuerunt *Fridericus Ludouicus Chriſtianus* CROPP, qui hanc Diſſertationem defendit, *Iohannes Chriſtophorus Ludouicus* SEIP, celeberrimi medici Pyrmontani IOHANNIS PHILIPPI filius, *Carolus Philippus* GESNER, I. M. F. *Iohannes Arnoldus Iulius* RICHERS, Hoyenſis, *Ioachimus* FVRSEN Holſatus, *Iohannes Henricus* HOFMEISTER Hildeſienſis. *Fridericus Ludouicus* ENGELSTAETTER Dresdenſis, omnes Medicinae Cultores. Iter exeunte Iunio perfecimus.

1) p. 77. 2) *Catal. plant. circa Brunsv.* p. 43. cum propria icone in *Adpendice* n. 7. 3) *Flor. Ienenſ.* p. 163. 4) *Nov. prov. hort. Med. Witteb.* 1713. p. 74. cum icone. 5) *Act. ſuecic.* ann. 1723. p. 415. 6) *Flor. Lapon.* 229. 7) *Geranium haematodes Pannon.* p. 419. *hiſtor.* CI. CII. Eadem icone vſus eſt LOB. ic. 660. 8) *H. EYST. Vern. Ord.* I. T. XVI. f. 1.

* * *

THESES BOTANICAE.

I.

Methodus naturalis, coniungit ſtirpes ex maiori numero conuenientium characterum, licet unus vel alter manifeſto differant; Aſarum & Ariſtolochiam, Rutam, Moschatellinam & Hypopityn.

II.

Diſtinguit ſtirpes pluribus characteribus diuerſas, etſi vnus vel alter manifeſto conueniat, Veronicam a Pinguicula, Verbaſcum a Digitali, Saxifragiam ab Vmbelliferis.

III.

Methodus artificialis, coniungit plantas pluribus notis diuerſas & vnica conuenientes: Veronicam & Salicem, Moschatellinam & Solanum, Valerianam & Echium.

IV.

Methodus artificialis, diſtinguit ſtirpes pluribus notis conuenientes, diuerſas vnica, Echium ſeparat ab Aſperifoliis, Saponariam & Caryophyllum a Lychnide, Aſcyron ab Hyperico.

V.

An noua methodus petenda a proportione Staminum ad Tubas & ad petala, horumque ad calycem proportione? Medetur malis quibusdam a numero ortis, ſed manet artificialis, ſeparat Alſinen mediam a reliquis, Myoſotides a ſe inuicem &c.

THESES CHIRVRGICAE.

VI.

Sectio calculi Rauiana vix vnquam aperit Veſicam ipſam.

VII.

Sed fit continuatio Sectionis adparatu magno, ita vt haec anterior ſit & a Veſica remotior, Raviana poſterior & ipſos ceruicis terminos aperiat.

VIII.

Manet tamen eius praeſtantia, quod adtinet inſtrumentorum Iter facile, & minus incontinentiae atque lacerationis periculum.

IX.

Adparatus altus alias ſuccedit, alias minime, nullo vitio Chirurgi, neque facile eſt diſtinguere quando felix futura ſit operatio quando minime.

X.

Adparatus paruus a RAVIANO parum differt, & vix niſi quod directe admittat inciſionem, Rauianus oblique.

XI.

THESES ANATOMICAE.

XI.

Vena alia Cordis perpetua a ſinu dextro in oſtium Mediae, recipiens ſaepe innominatas.

XII.

Vena anterior Cordis rariſſima, ſed viſa eſt tamen inſerta in coniunctione auris dextrae cum Vena Caua ſuperiori.

XIII.

Viſus eſt vere in homine ductus a BARTHOLINO deſcriptus, neque infrequens eſt.

XIV.

Inciſiuus ductus, in recente cadauere patulum eſt infundibulum ſetam transmittens.

XV.

Vaſa lymphatica a Ventriculo ampliſſima pene omnium, ad receptaculum abeunt.

THESES PHYSIOLOGICAE.

XVI.

Quid fit in ſyſtemate ſpirituum, de ſpiritu qui muſculum in motum egit? An refluit ad cerebrum? minime, fieret ſenſus: an abit in venas? cur non prius?

XVII.

Per eadem vaſa & tranſpirari & nutriri neceſſe eſt.

XVIII.

Fit ergo vera tranſpiratio per Vaſa generis minimi

XIX.

Diaphragma ſtringit Oeſophagum utique, & relaxatur in vomitu.

XX.

Vomitus fit vel ſola conuulſione ventriculi, vel adcedente convulſione muſculorum abdominalium.


Sisymbrium palustre album foliis imis
Barbareae reliquis integris
Bryum hypnoides erectum montanum
erectis capitulis acutis.